

A. 108616

GRAMMATICES  
DESPAUTERIANAE

RECENS IN EPITOMEN ET  
commodiorem ordinem redacta, infinitisque in  
locis correcta & explicata,

LIBER TERTIUS,

IN QUO

SYNTAXIS

SEU RECTA PARTIUM ORA-  
TIONIS CONSECUTIO DOCTE  
& aperte traditur.

*Universi operis rationem & commoditatem epistola ad Ludi-  
magistros, & prefatio toti operi prefixa declarant.*

*Singula hujus libri capita sequens pagina indicabit.*

Decreto Synodi provincialis Mechliniensis statutum est, ut UNICA  
Despauterij Grammaticae, in compendium con-  
tracta, in scholis praelegatur.



ANTVERPIÆ,

Ex officina Christophori Plantini, Architypographi Regij.

M. D. LXXV.

*Cum privilegio ad octennium.*

Despauteriana 1575 • 1/1

SYNTAXEOS TOTIUS  
SCHEMATISMUS.

Perfecta seu Analo- ga,	Intransitiva, (vulgò con- cordantia seu convenientia)	Substantivi & Adjectivi.	CAP. 6
		Antecedentis & Relativi. Nominativi & Verbi. Interrogationis & Respon- sionis. Substantivorum ejusdem rei.	
Figurata seu Anoma- la.	Transitiva, (vulgò Exi- gentia sive Rectio)	Nominis.	CAP. 7
		Pronominis.	
		Verbi.	
		Participij.	
		Adverbij.	
		Conjunctionis.	
		Præpositionis.	
		Interjectionis.	
		9.	

Conjunctio tamen nec regit nec regitur.

Figurata seu Anoma- la.	Latinè	Appositio.	CAP. 10
		Evocatio.	
		Comprehensio.	
		Adjunctio.	
		Præoccupatio.	
		Permutatio casus.	
		Compositio.	
		Intellectio.	

De grammatico seu naturali dictionum ordine. CAP. 11

GRAMMATICES LATINÆ  
LIBER TERTIUS,  
SIVE  
SYNTAXIS.

**S**YNTAXIN Cicero in Partitionibus Latinæ Consecutionem appellat, *Latinæ* Constructionem: Priscianus modo Constructionem & ordinationem partium orationis vocat, modo Structuram & Dispositionem.

Est autem Syntaxis, recta & emendata partium orationis inter se compositio, in probata lingua Latine auctoribus observata. Hæc enim docet quæ ratione ac lege dictiones singulae coniungi & apiciter se connecti debeant, ut animi sententiam sine ambiguitate exprimat.

Syntaxis est duplex:   
 { Perfecta sive analogæ.  
 { Figurata seu anomala.

Perfecta & analogæ dici potest, quæ a præceptis communibus non recedit, sed sequitur communes regulas. Hanc alij Structuram & planam, alij simplicem & absolutam vocant.

Figurata & anomala dicitur, quando regulæ consuetæ & communes non observantur: ut sic in Figuræ Syntaxeos.

Perfecta Syntaxis est duplex:   
 { Intransitiva.  
 { Transiva.

Intransitiva est, quæ partes orationis aut nullum post se casum habent; ut, *Pueri valent, studiosi discunt, diligenter docentur.* Ans. certe non dicitur ab eo qui antecessit; ut, *Pax est tranquilla libertas.* sive potius, quando dicitur una cum altera in certis concordat accidentibus: cuiusmodi sunt, genus, numerus, casus: ut, *Mala mens, maior animus.* Item persona, modus, & tempus: ut, *Cæci vident, claudi ambulant.* aut *ibi, aut ab.* Ideo quæ à Grammaticis vocantur *Convenientia, sive Concordantia, aut Congruentia.*

Transiva verò est, quæ partes orationis in casum dissimilem præcedenti transeunt: hoc est, quæ dicitur certum al quem casum sibi adsciscit, sive (quod vulgò dicitur) regit aut exigit post se casum aliquem. *Proverbiorum capite octavo: Timor Domini odit malum.* hî: significatio nominis *Timor* transit in genitivum, & verbi *odit* in accusativum. Hæc à Grammaticis vocantur *Exigentia sive Rectio, aut regimen.* *Timor enim exigit seu regit genitivum Domini, odit verò accusativum malum.*

Nomen, Pronomen, Participium, regunt & reguntur. Verbum, Adverbium, Præpositio, Interjectio, regunt tantum. Conjunctio nec regit nec regitur. Solus autem casus regi dicitur.

Sed antequam præcepta Syntaxeos, eo quem tenere decreverimus ordine stabula præcedenti explicato, tradamus: generalis aliquot Regulas pueri hî proponere placuit.

1. Quem casum habet numerus singularis, eundem recipit & Pluralis. ut, *Dives agrum.* *Dispites agrum.*
2. Quem casum Nominativus postulat, eundem omnes obliqui requirunt. ut, *Filius regis, filij regis, filio regis, &c.* sic *Filius regis, filiorum regis, &c.*
3. Quem casum Positivus exigit, eundem & Comparativus ac Superlativus volunt. ut, *Amans tui, amantior tui, amantissimus tui.*
4. Quem casum recipit Indicativus, eundem admittunt & reliqui modi. ut, *Amo Deum, ama Deum, utinam amares Deum, cui n. ames Deum, amare Deum, &c.*
5. Qui casus Verbo activo tribuuntur, idem & Passivo adijungi possunt; excepto accusativo rei patientis. ut, *Legisti librum duos lotas, vel duas lotas: Liber legitur, aut lectus est, aut legendus est, duas horæ, vel duabus horis. Magno litrum emisisti: Magno libris emittis est. Plurim vendidisti agrum: Plurim vendidisti eum ager, &c.*

## DE SYNTAXI INTRANSITIVA

SIVE CONVENIENTIA,

Quæ constat quinque Regulis.

## PRIMA REGULA.

- Mobile cum fixo, genere & casu numeróque
- Conveniat. Nomen sic vult cognomini adesse.

Substantivum & Adjectivum coveniunt in genere, numero, & casu. Amicus certus in re incerta cernitur. Orandum est ut sit mens sana in corpore sano. Ex malis moribus bona leges nata sunt. Mali corvi malum ovum.

Adjectivum est, quod substantivo adjicitur, sine quo sensum non perficit. Id vocatur mobile, quia movetur de genere in genus.

Substantivum est, quod adjectivo substituitur, & vocatur fixum, quia firmum & stabile est, nec movetur de genere in genus.

Adjectivum est triplex:

Nomen: ut, Alexander magnus. Rara avis. Viva vox.

Pronomen: ut, Suus cuique mos est. Quis Dominus? Deus noster.

Participium: ut, Sopitos suscitavit ignes. Vineam putanda est.

Nomen sic vult cognom. Nomen & cognomen eodem modo conveniunt in genere, numero, & casu. ut, Simon Petrus. Fabius pictor. Petrus Pavo. Idem de pronomine & agnomine dicendum est. ut, Marcus Tullius Cicero; Publius Virgilius Maro; Publius Cornelius Scipio Africanus.

Dicimus etiam Comes Mirandulanus, vel à Mirandula: non de Miradula,

Quando in una oratione sunt plura Substantiva, Adjectiva ab illis interdum discordant per Syllepsin, Regulam indifferentie, Zeugma, vel Synthesin. ut,

1. Pater & mater sunt colendi.

2. Cælum & terra sunt à Deo condita.

3. Carus est panis & vinum.

4. Ubi est ille scelus qui me perdidit? pro, ille sceleratus.

De quibus dicemus cap. 10. in Syntaxi figurata.

Adjectiva capiuntur aliquando substantivè, præcipuè in neutro genere: & tum adjiciuntur substantivis cujuslibet generis. Virgilius: Triste lapsus stabulum. Idem: Varium & mutabile semper Femina. Idem: Fama malum, quo non aliud velocius ullum. Ovidius: Turpe senex miles, turpe senilis amor. Cicero: Mors omnium rerum est extremum. Hæc autem & similia hoc modo explicanda sunt, veluti per desinitionem: Fama malum, id est, fama est res mala. Lupus triste, id est, lupus est res quedam tristes, &c. Frigidissimum hominis est cerebrum, id est, frigidissima pars. Summum domus, id est, summa pars domus. Servantissimus equus, id est, equitatus. Itaque adjectivum in neutro genere Substantivè acceptum, declaratur tribus fere modis. primo, per nomen res: secundo, per nomen pars: tertio, per nomen abstractum; id est,

per nomen substantivum ab adjectivo deductum. Aliquando etiam subauditur substantivum, ut, altum, profundum, sub. mare.

## SECUNDA REGULA.

Pone Relativum cum Præcedente, in eodem Et genere & numero, nec non persona in eadem.

Antecedens & Relativum concordant in genere, numero, & persona. Psalmo cxi. Beatus vir qui timet Dominum. Sapientia primo: Os quod mentitur, occidit animam. Jucundissima voluptas est, quam commendat rarior usus. Litteræ quas ad Senatum dedisti, publicè recitatae sunt.

Antecedens est nomen serè substantivum quod antecedit Relativum.

Relativum verò hoc loco est Pronomen quod Antecedens ipsum refert, id est repetit & in memoriam reducit: cujusmodi sunt hæc quattuor Pronomina, Qui, is, ipse, ille. Quibus addi possunt hic, iste, & idem. fiunt enim aliquando relativa.

Antecedens & Relativum non debent in casu convenire, quia non reguntur ab eodem verbo, ut, Accepi litteras que mihi gratissima fuerant, hæc litteras regitur à verbo accepi: quæ, à verbo fuerunt.

Ceterum quando reguntur ab eadem dictione, etiam in casu conveniunt, quum scilicet Relativum præponitur Antecedenti, per Regulam,

Quando relativo Præcedens subdis, eodem

Ponatur casu: quia Verbo dantur eidem.

Quem scribo librum, bonus est, ornatius aio

Quam librum quem: nam rarò reperimus in usu.

Si relativum qui, quæ, quod, præcedat, & antecedens sequatur, Latine & elegantè consentient in eodem genere, numero, & casu: quia ad idem Verbum referuntur. Cicero: Quas litteras ad Senatum dedisti, publicè recitatae sunt. Terentius: Populo ut placerent, quas seisset fabulas. Idem: Quas credis esse has, non sunt vere nuptie. Ovidius: Sub qua nunc recubas arbore, virga fuit.

Interdum etiam in eodem casu inter se congruunt, quum relativum postponitur antecedenti: sed minus elegantè. Virgilius: Urbem quam statuo, vestra est. Terentius: Eunuchum quem dedi. Si nobis, quas turbas dedi: pro urbs, & eunuchus. Per Aniptosin enim casus pro casu ponitur, ut latius dicemus infra cap. 10.

Si referens ponas inter generum variorum

Casus, tum referens aptè quadrabit utrivis.

ut, Flos qui rosa fertur: vel, Flos quæ rosa fertur.

Si Relativum qui, quæ, quod, locatum sit inter substantiva diversi generis, cum utrovis convenire potest: n. odò adsit verbum substantivum, vocativum, aut eorum vim habens. ut, Rosa que est flos, vel qui est flos. Urbs que Gandavum dicitur, vel quod Gandavum dicitur. Sullustius: Est locus in carcere quod Iulianum appellatur. Cicero: Propius à terra Jovis stella fertur, que Phœlion dicitur. Ovidius: Unus erat toto nature vultus in orbe, quem dixere cævas.

Quæ etiam infra cap. 4. est prima.

Rectum à fronte capit persona convenientem  
Et numero, verbum quod personale vocatur  
Finitique modi. --

Nominativus antecedit verbum personale finiti modi, eodem numero & persona.

Indicativi: *Ego ambulo, Tu ambulas, Ille ambulat. Nos ambulamus, Vos ambulatis, Illi ambulant. Ego doleo. Tu gaudes. Illi rident. Nos fallimur. Verax labium constat sibi, lingua mendax variat.*

Imperativi: *Virgilius: Tu regere imperio populos Romane memento.*

Optativi: *Cicero: Atque utinam ipse Varro incumbat in causam.*

Conjunctivi: *Cicero: Doceas tu me oportebit, in meâne potestate sit spectrum tuum.*

## APPENDIX.

Quæ per **E T** aut **focias** jungo, dant ritè valorem

Conjunctione

Pluralem. Sic **CUM** pro **Conjunctente** locatum.

Copulatum ex duobus vel pluribus singularibus, significatione plurale est. Ideoque verbum vel Adjectivum aut relativum erit ferè pluralis numeri.

*Cicero & Cesar sunt optimi Latinae linguae auctores. Virtus & eruditio parant perennem gloriam. Pater & filius & nepos simul ambulant, quos video.*

Præpositio cum aliquando vim conjunctionis habet, & substantivis singularibus plurale adjectivum vel verbum adjungitur, præcipuè apud poetas. *Ovidius: Illa cum Lauso de Numitore sati. id est, Illa & Lausus. Apuleius: Postquam finitum est illud Paradisi judicium, Juno quidem cum Minerva tristes & iratis similes à scena redeunt, indignationem repulsa gestibus professe.*

Sed disjunctiva Conjunctione sociatis additur Verbum vel Adjectivum singulare ut, *Quis tibi aut propinquus aut amicus auxilio esse possit?*

Sunt h: etiam Consecutiones aliquot figurate per *Ecclesin, Syllepsin, Zeugma, & Synchresin, que in personis & numeris ab hac regula variant. de quibus infra cap. 10.*

## QUARTA REGULA.

interrogatis

Quo casu rogaris, respondebis eodem.

Interrogatio & Responsio debent in casu consentire.

*Quis dives? qui nil cupiat. Quis pauper? avarus. Cujus puerum huc adduxisti?*  
Maximi-

*Maximiliani. Quis miserabitur peccatoris? Mitissimus Iesus. Catullus: Cui dono lepidum novum libellum? Corneli tibi. Terentius: Quid meritis es? crucem. A quo emisisti hunc libellum? à bibliothopola.*

## EXCEPTIO.

Interrogatio & responsio non debent in casu convenire quum tribuantur dictioni quæ necessariò diversos casus exigit.

*Cujus est liber? meus: non mei. Quanti emisisti hunc librum? asse: non assis. Cujus interest? mea. Quorum refert? nostra. non, mei, nostri. Cujus est penna? mea. Cujus culter? tuus. Virgilius: - Cujum pecus? an Melibæi? Non, verum Aegonis. - Ubi sunt hostes? Intus: in castris: apud Alpeis: Lugduni.*

Sæpe & eleganter eodem verbo respondemus quo interrogamur.

*Audia hæc? Audio. Curastine istud? Curavi. Terentius: An non dixi hoc esse futurum? Dixi.*

Utinam quoque in responsione Adverbio etiam, & Ita.

*Cicero: aut etiam aut non respondere possit. Plautus: Egone istuc dixi? Ita.*

Interdum interrogationi subicitur Sic est, Ita est, Factum.

## QUINTA REGULA.

Fixa rei ejusdem, casu junguntur eodem

Appositivum

copula seu Cōjunctione.

(Idque per Appositum) nulla conjuncta catena.

Substantiva continuata ad eandem rem pertinentia, junguntur in eodem casu, quamvis genere & numero aliquando dissentiant.

*Continuata substantiva dicuntur, quæ nulla Conjunctione sunt vincula. Christus Dominus. Virgo Maria. Anna soror. Petrus & Paulus Apostoli. Massanisa rex. Horatius: Et genus & formam regna pecunia donat. Plinius: Lupum piscem non vidit Italia. Arbor Laurus fulmini non est obnoxia.*

In diverso genere: *Mons Aetna. urbs Lovanium. Roma caput mundi.*

*Plinius: Lepus animal auritum herba paschitur.*


*Ovidius: Effodiuntur opes irritamenta malorum.*

In diverso numero: *Urbs Athena. Romani gens valida. Aborigines genus boninum agreste. Catullus: Passer delicia mea puella.*

GRAMMAT. DESPAUTER.  
CAPUT SECUNDUM.  
DE SYNTAXI TRANSITIVA

NOMINIS, TUM SUBSTANTIVI,  
TUM ADJECTIVI,

Quæ absolvitur decem regulis.



PRIMA REGULA.

Fixum, diversum fixum regit in genitivo.

Nomen substantivum regit alterum substantivum in genitivo, quum significantur res diversæ.  
*Arma Achillis. Toga Perii. Cyathus vini. Modius tritici. Ulna panni. Jugum bouum. Annona caritas. Par chirothecarum. Proverbiorum cap. primo: Timor Domini, principium sapientiæ. Publius: Injuriarum remedium est oblivio. Horatius: Mors ultima linea rerum est. Cato: Dolor est medicina doloris. Mille nummum. Duo milia peditum. Iter unius diei. Tres decades quaestionum.*

APPENDIX I.

Quædam adjectiva substantivè posita junguntur genitivo.  
*ut multum, plus, plurimum, minus, minimum, tantum, quantum, quid, aliquid, paulum, paululum, exiguum, summum, extremum, ultimum, postremum, & quædam alia. Minimum lucri. Multum laboris. Quid rei? Aliquid causæ. Profundum maris. Obscurum noctis. Id ætatis. Cicero: Tibi autem idem consilij do. Idem: Extrema belli. Terentius: Dimidium mine in sumtum dedit. Virgilius: Ferimur per opaca locorum. Medium noctis: pro, media nox. Sed in Adjectivis masculinis, aut femininis sine substantivo positus, intelligitur aliquod substantivum. ut, Sapientes Græcia.*

APPENDIX II.

Nomen substantivum regit etiam genitivum Pronominis primitivi.  
*ut, Amor tui. Desiderium mei. Memoria vestri. Cujus liber? Illius arma.*  
Uxor

LIBER SECUNDUS.

Uxor istius. Prater ipsius. Hujus amore. Ejus causæ. Hic enim Pronomina substantivè capiuntur, vel substantivum subauditur.

APPENDIX III.

Instar amat patrium. Quandoque notabis ad instar.

Instar regit genitivum. Significat autem æquè magnum, simile, exemplum, par, idem.  
*Virgilius: Instar montis equum divina Pallada arte Aedificant. Cicero: Terra ad universi calis complexum quasi puncti instar obtinet. Idem: Plato mihi unus instar est omnium. Pro instar legitur aliquando ad instar. Appuleius: Ad instar solis exornatus. Iustinus: Valli ad instar castrorum clandestus.*

SECUNDA REGULA.

Quævis proprietas aut pars cui mobile junctum est  
Laudis vel vitij, patrio datur aut Latiali.

Nomen substantivum admittit genitivum vel ablativum significantem rei partem aut proprietatem, accedente adjectivo, quod laudem vel vituperationem exprimat.

Partem: *ut, Puer decora faciei, vel decora facie. Hic nomen substantivum, nempe puer, significans totum, regit partem sui totius, videlicet facies, in genitivo vel in ablativo: cum adjectivo laudis. Adolescens perscripta frontis, vel perscripta fronte. Est adolescens modesto vultu ac venusto. Juvenalis: Ingenui vultus puer, ingenuique pudoris.*

Proprietatem: *ut, Servus spectata fidei, vel spectata fide. Juvenis summa eruditionis, vel summa eruditione. Non multi tibi hostitem excipies, sed multi joci. Terentius: Homo antiqua virtute ac fide. Caesar: Vir & consilij magni & virtutis.*

Proprietas hoc loco dicitur, accedens quod alicui inest, quemadmodum albedo parietis. *ut, scientia est proprietas, quia accidit homini. sic eruditio, sapientia, virtus, &c.*

Differt Synecdoche ab hac regula. Nam in Synecdoche adjectivum concordat cum casu totius, *ut, puer ager pedes vel pedibus: in hac vero regula convenit adjectivum cum casu partu vel proprietate: ut, puer ingenus vultus, vel ingenuo vultu: bona indolis, vel bona indole.*

TERTIA REGULA.

Mobile vult patrium verbale & participale.  
Talia sunt alia adjectiva itidem bene multa.

Adjectiva verbalia & participialia, aliâque multa, adsciscunt sibi genitivum.

Adjectiva hujusmodi sunt multiplicia.

Primo, in ax: ut, bib. ax vini: tenax propositi: terra ferax tritici.

Ovidius: Tempus ed. ax rerum. Seneca: Esto vitiorum fugax.

Secundo, in idus: ut, Cupidus laudis. Avidus novitatis. Callidus rei militaris. Invidus alienae felicitatis. Timidus vel pauidus mortis.

Tertio, in ius. Nuntius veri. Dubius animi. Inscius vel nescius omnium.

Præcius futuri. Ovidius: Conscia mens recti fama mendacia ridet.

Quarto, alia multa tam verbalia quam alia, diverse terminationis, quæ certis locis comprehendere non possunt. ut, Memor beneficij. Immemor injurie. Horatius:

Præter laudem nullus avaris. Studiosus tui. Securus periculi. Fertilis frumentum.

Ignarus viae. Rudis litterarum. Expertus belli. Peritus juris. Imperitus rerum.

Compos mentis. Impos animi. Amens animi. Cicero: Prudens impendentium malorum. Sic, amulus, expers, particeps, integer, cæcus, maturus, &c. Certus

vel incertus mortis; & Faciam te rerum omnium (vel, de rebus omnibus) certiorum.

Reus studet genitivo, vel ablativo cum Præpositione DE. Reus audacia, avaritia, de ambitu, de vi, apud Ciceronem.

Participialia: Amans vini. Observans tui. Fugitans litium. Cupiens auri. Sitiens virtutis. Patiens laboris, inediae. Alieni abstinentis. Sonni & vini abstinentissimus. Doctus Græcarum litterarum. Indoctus pile. Cicero: Insuetus contumeliae. Consultus juris, & jurisconsultus, vel jureconsultus. Præstans animi.

Participialia dicuntur Participia jam facta nomina. & à participiis bisariam differunt.

Primo, Participialia regunt genitivum: ut, amans vini: abundans lacte: doctus litterarum.

Participia regunt casus suorum verborum. ut, amans vinum: abundans lacte: doctus literas.

Secundo, Participialia significant sine tempore: ut, amans vini, qui ex consuetudine vinum appetit: patiens frigoris, qui frigus facile perferre potest. Participia vero significant cum tempore. ut, amans vinum, qui jam vinum amat: patiens frigus, qui jam friget.

#### QUARTA REGULA.

Pluralem

Partitiva regunt genitivum plura notantem

Ejusdem generis: nisi Collectiva regatur

Aut heteroclita vox, aut præcedentia spectes.

Partitiva regunt genitivum pluralem in eodem genere.

Unus fratrum: nulla sororum: utra manus? Optimus poetarum est Virgilius.

Doctissimus historicorum est Julius Cæsar. Latinarum omnium eloquentissimus Cicero.

Nisi collect. &c.] Adjectivum participium potest à genitivo discrepare in genere tribus modis:

Primo,

Primo, quum regit nomen Collectivum. ut, Optimus plebis.

Secundo, quum regit nomen heteroclitum quod variat genus. ut, Infimum calororum lunam continet.

Tertio, ubi adjectivum respicit præcedens. Divus Hieronymus: Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum.

Exempla hujus regule sunt quadruplicia.

Primo, Signa Universalis, Particularis, Interrogativa, & Infinita.

Universalis: ut, Nullus fratrum. Nulla bestiarum. Uterque parentum. Neuter Catonum. Quilibet vestrum. Ovidius: Qui quis fuit ille Deorum.

Particularis: ut, Aliquis horum. Alter Consul. Sola avium. Plerique mortalium.

Terentius: Nunquam cuiquam nostrum verbum fecit.

Interrogativa: ut, Uter oculorum? quis digitorum?

UTER de duobus interrogat, & Comparativo jungitur. ut, Utra manus est fortior?

QUI s de pluribus ferè, & Superlativo jungitur. ut, Qui digitorum est longissimus?

Innita: ut, Nescio qui vestrum loquatur. Ignoro uter vestrum sit doctior. Sed cum pueri hæc divisiones distributionesque vix unquam teneant, commodius fuerit habere in promptu ea quæ maxime Partitiva sunt, ordine elementorum. alius, aliquis, alter, alteruter, nemo, neuter, nullus, quis, quicumque, quidam, quilibet, quisquis, quivis, quisquam, quisque, solus, unus, unusquisque, uter, uterque, uterunque, uterlibet, utervis.

Secundo, Numeralia Cardinalia & Ordinalia.

Cardinalia: ut, Unus omnium: duo fratrum: tres vestrum.

Ordinalia: ut, Primus librorum Aeneidos. Tertius Catonum. Octavus sapientum.

Tertio, Pronomina. ut, Discipulorum hic studiosus est, ille vero ignavus. Animalium hæc binus, illa quaternis pedibus incedunt.

Quarto, duo gradus Comparationis, Comparativus & Superlativus.

Comparativus: ut, Major Ursarum Cynoïura dicitur.

Superlativus: Cæsar: Gallorum omnium fortissimus Belgæ.

Observandum vero hoc loco, quod Comparativus & Superlativus participiivè accepta dicuntur de rebus ejusdem generis seu nature. Comparativus quidem de duabus: Superlativus de pluribus. ut in exemplis superioribus facile intelligitur.

Porro tum res ejusdem generis vel nature dicuntur esse, cum Excedens & Excessum de semetipso verè possunt affirmari. ut cum dicimus, Dexteræ est fortior manuum; dexteræ est manus.

Achilles fuit fortissimus Græcorum. Achilles fuit Græcus.

Quando verò res sunt diversi generis, utendum erit Comparativo cum ablativo, qui per quàm exponitur. ut, Aeneas est fortior Turno: id est, quàm Turnus.

Ceterum ut hæc facilius à rudibus discerni queant, visum est hæc paucis repetere.

#### APPENDICES VII.

1. Comparativus & Superlativus regunt quemvis casum Positivi.

ut, Doctus, doctior, doctissimus litterarum. Carus, carior, carissimus mihi.

Dignus, dignior, dignissimus laude.

2. Comparativus participiivè acceptus regit genitivum pluralem in eodem genere, qui exponitur per ex vel inter. ut, Major fratrum: id est, ex duobus fratribus; vel, inter duos fratres.

3. Super-

3. Superlativus exigit genitivum pluralem, vel eius loco genitivum singularem nominis Collectivi. ut, *Maxima sororum: id est, inter omnes sorores. Optimus plebis: id est, ex plebe.*

Nomen Collectivum est, quod in singulari numero pro unica re non capitur, sed significat multitudinem. ut *plebs, populus, turba, gens, exercitus, grex, pars, cohors, phalanx, chorus, cætus, &c.* Comparativus dicitur de duobus serè ejusdem generis vel natura: ut, *Fortior manuum est dextera. Superlativus de pluribus ejusdem generis: ut, Digitorum longissimus est medius. Fortissimus Græcorum Achilles, Troianorum Hector.*

Huc referuntur Adverbia superlativi gradus. ut, *Optimè omnium scribit. Pessimè omnium dixit.*

4. Syncritico gradui casum subjunge Latinum, Res ubi diversæ sunt naturæ generisque.

Comparativus comparatè acceptus regit ablativum, qui per quàm exponitur: quando videlicet fit collatio inter res diversi generis. ut, *Iohannes est Cræso ditior: id est, quàm Cræsus. Virtus est pretiosior auro.*

Huc referuntur Adverbia comparativi gradus. ut, *Citius fratre meo redij. Conjunctione quàm saepe utuntur scriptores. ut, Ille toto pede longior est quàm quivis longissimus. Cicero: Tu innocenior quàm Metellus?*

Hic ablativus exponitur etiam interdum per ac. Cicero: *Mibi videtur diutius absuturus ac vellem. Vel per atque: Terentius: Non Apollinis magis verum atque hoc responsum est.*

5. Comparativis junguntur eleganter hi ablativi, *opinione, spe, equo, justo, solito, dicto.* Cicero: *Opinione ego omnium majorem cepi dolorem. Est spe fortunatior: id est, quàm sperabat. Est tristior solito, equo, justo. Dicto citius abiit.*

6. Comparativus præter suum casum regit etiam ablativum significantem excessum certum vel incertum. ut, *Hic est me toto pede longior. est me palmo castior. est me major vel minor biennio paulo doctior. nihilo melior. Quo ditior, hoc avarior.*

7. Comparativus ablativum regens ponitur eleganter in neutro genere. ut *ornatius dixeris, Nihil tuo patre generosius, Nihil matre tua castius: quàm, Nullus patre tuo generosior, Nulla est matre tua castior.*

Dictiones partitivæ sunt, quæ vel singulæ plura significant: ut, *quisque, unusquisque, uterque, neuter.* vel unum è multis: ut, *alter, alius, reliquis.*

#### QUINTA REGULA.

Utile vel damnum signans, aliquove relatum,  
Adjectitia vox, dandi potest sibi casum.

Adjectiva

Adjectiva significantia commodum vel incommodum, aut relationem ad aliquid, dativum exigunt.

Commodum: ut, *Utilis reipublicæ. Multis gratus & acceptus. Carus vel jucundus omnibus. Vegetius: Dulce bellum inexpertis. Plinius: Equitatio stomacho utilissima, phthisi navigatio, longis morbis loci mutatio.*

Incommodum: ut, *Viro egenti inutilis verecundia. Perniciosus patria. Molestus omnibus. Inensus filio: id est, valde iratus. Infestus hosti. Adversus nemini. Horatius: Vitius iniquus. Plinius: Calix est frumento inimicissima. Cicero: Vereor ne tibi sim gravis: id est, molestus.*

Relationem ad aliquid: *Plautus: Flamma fumo est proxima. Ovidius: Getho contermina soni. Idem: Falsa veris similitudo sunt. Idem: Livius Ennio equalis fuit.*

#### OBSERVATIONES.

1. *Communis, similis, par, cum natis utriusque, Finitimus, proprius, conterminus, atque propinquus, Consciis, equalis, germanus, junge alienis: Sic quoque vicinus, socius, cognatus, amicus, Atque inimicus, & affinis, queis paucula jungunt, Conneti gaudent vel terno vel genitivo.*

Quædam adjectiva admittunt genitivum vel dativum, frequentius tamen dativum. Talia sunt, *communis, similis, adsimilis, consimilis, persimilis, absimilis, dissimilis, par, compar, dispar, impar, finitimus, proprius, conterminus, propinquus, conscius, equalis, germanus, alienus: (quidam addunt fidus, superstes, obnoxius, maturus, contrarius:)* Item *vicinus, socius, cognatus, amicus, inimicus, affinis, familiaris hujus vel huic.* Ex quibus posteriora, junctâ genitivis, capiuntur substantivè: ut, *vicinus patris vel patri, socius, cognatus, amicus, inimicus, affinis Iohannis vel Iohanni, familiaris Cesaris vel Cesari.*

2. *Utilis atque habilis, quæque his contraria cernes; Natus, idoneus, atque accommodus, aptus, ineptus, Pluraque, amant ternum, aut quartum cum Prepositura.*

Sunt quæ junguntur dativo, vel accusativo adjecta Prepositione. ut, *aptus, ineptus, utilis, inutilis, accommodus, idoneus litteris, vel ad litteras: bello, vel ad bellum. Natus glorie, & ad gloriam. Boves habiles aut inhabiles cultura, & ad culturam. Dissimiles inter se. Disparis inter se motus. Cicero: Virtutes ipsas esse inter se æquales & pares.*

SEXTA

Finite in **BILIS** ac in **DVS** verbalia, ternum  
Adsciscunt casum, si passivè capiantur.

Verbalia in *bilis*, & Participialia in *du*, passivè accepta, recipiunt post se dativum.

Verbalia in *bilis*: ut, *Amabilis omnibus. Formidabilis hostibus. Mors nulli exorabilis. Livius: Silex impenetrabilis ferro. Horatius: Multis ille quidem sibilu occidit.*

Participialia in *du*: ut, *diligendus, colendus, honorandus omnibus. Lugendus fratris. Ovidius: Pauper amet cautè, timeat maledicere pauper:*

*Multaque divitiis non patiendâ ferat.*

Differunt Participialia nomina à Participiis in *du*: Participialia nomina carent tempore, & exponuntur per verbum debet vel oportet, aut per nomen dignus, ut, *legendus, qui debet legi, aut qui dignus est legi. Participia tempus futurum significant; ut, legendus liber: id est, qui legetur. Ita dices de reliquis.*

## VII. REGULA.

Adjectiva quibus dimensio significatur,  
ut, *longus, latus, crassusque, profundus, & altus.*  
Ritè regunt quartum casum, & quandoq. Latinum.  
Pannus hic est longus tres ulnas, vel tribus ulnis.

Adjectiva quæ generalem dimensionem significant, regunt accusativum, & interdum ablativum, qui certam mensuram significat.

Accusativum: *Livius: Agger longus pedes mille. Caesar, Aggerem latus pedes trecentos. Plinius: Caulis palmum altus. Lucretius: Digitum non altior unum. Muri Babylonii erant alti ducentos pedes, lati quinquagenos: teste Plinio.*

Ablativum: *Plinius: Longum sesquipede. Cato: Crassus pede uno; longus pedibus xxxvii. Livius: Fossam sex cubitis altam.*

Nomina mensurarum sunt, *digitus, cubitus, ulna, pes, passus, stadium, milliare vel miliarium, palmus, uncia, dodrans, &c.*

## VIII. REGULA.

Sæpe Synecdochicòs assumit mobile sextum,  
Qui signat vel partem vel laudem vitiumve.  
Atque solent partem quarto proferre poëta.

Pleraque adjectiva ablativum postulant significantem partem, laudem, vel vituperationem, per Synecdochen. Sed ablativum partem frequenter in accusativum mutant poëta.

Partem

Partem: ut, *Aeger pedibus: & poëticè. Aeger pedes. Crissus capillis vel capillis, Martialis: Crine ruber, niger ore, brevi pede, lumine laesus.*

Laudem: ut, *Dulcis et-quo, suavis voce. Ovidius: Ennius ingenio maximus, arterudis.*

Vituperationem. *Cicero: ut vita, sic oratione durus, incultus, horridus. lentus gradu. vitium nobilis.*

## IX. REGULA.

Efficiens causa atque modus sexto volet edi.

Nomina quædam, tum adjectiva tum substantiva, tribuuntur ablativo qui causam notat efficientem, aut certè modum aliquem.

Adjectiva: *Pallidus metu. Fessus cursu. Tardus senio. Insignis pietate. Clarus eruditione. Lequacitate molestus. Plinius: Urtica Catonis morte nobilis. Terentius: Deteriores omnes sumus lucentia.*

Substantiva: ut *dignitatum nomina, & quædam alia. Maximilianus Dei gratia Romanorum Rex & Imperator. Pius divina miseratione Romana Ecclesiæ Pontifex. Et si qua sunt alia nunc ad eundem modum introducta. Cicero: Pietate filius, consilii parens, amore frater inventus est.*

Huc pertinent, *Natione Brabantus, Mons nomine Parnassus, Andria genere, Marcus prænominè, Tullius nomine, Cicero cognominè. Virgilius: Nascitur pulchra Troianus origine Casar. Item, Decem numero: Decimus ordine.*

## APPENDIX.

Ablativo quidam utuntur in citandis auctoribus.  
ut, *Terentius Eunuchò. Plautus Trinummo. Virgilius Aeneide. Ovidius Metamorphoseon decimo. In quibus subintelligitur Præpositio IN. Quod genus loquendi frequens & familiare est Nonia Marcelle.*

## X. REGULA.

Sextum ferme optat sibi copia, sicut egestas.  
Interdum vel sextus adest vel patrius aptè.

Adjectiva quæ copiam aut inopiam significant, junguntur ferè ablativo.

Adjectiva copiam: *Cantharus vino repletus. Gravis ære. Urbs opibus referta. Loculi auro turgidi.*

Adjectiva inopiam: *Captus mente. Cassus lumine. Orbis vel orbatus parentibus.*

Quædam



Quaedam recipiunt genitivum vel ablativum,  
Plenus rimarum vel rimis. Dives pecoris vel pecore. Vacuus frugum vel frugibus.  
Inops consilij vel consilio. Expers rationis vel ratione.

## APPENDIX I.

Dignus & indignus deponunt ablativum.  
Sic fretus, liber, contentus, praeditus, atque  
Confectus, captus, mancus, locuplesque, potensque.

Horatius: Dignum laude virum Musa verat mori. Terentius: Hominem pi-  
strino dignum. Dignus est operarius mercede sua. Indignus tanta contumelia.  
Fretus tua humanitate. Liber metu & à metu. Esto contentus tua sorte. Pre-  
ditus virtute. Confectus senectute. Captus oculis. Mancus omnibus membris.  
Cicero: Locuples metu. Livius: Divitiis potens.

## APPENDIX II.

Poscit opus cum terno sextū, aliquandōq. primum.  
ut, mihi opus chlamyde est: fortis dux est opus urbi.

Opus, nomen adjectivum indeclinabile, regit frequenter dativum  
cum ablativo, accedente verbo substantivo.

ut, Opus est mihi tuo consilio. id est, ego tuo consilio. Vino vendibili non est opus  
suspensa bedera.

Recipit interdum post se dativum cum nominativo à fronte.  
Cicero: Dux nobis & auctor opus est. id est, necessarius. Plautus: Opus sunt mi-  
lites. id est, necessarii.

Qui nominativus ante infinitivum esse mutatur in accusativum.  
Cicero: Dices nummos mihi opus esse ad apparatus triumphi. Idem: Video mihi  
opus esse viaticum. Nam in huiusmodi constructione debet adjectivum opus cum  
suis substantivis consentire.

Sed dativus cum ablativo est usitator.

Opus regit eleganter ablativum participij, loco infinitivi positum.  
Opus est convento, id est, convenire. Celato opus est, pro celare. Facto opus est,  
pro facere. Opus est festivo. Terentius: In arcem transcurso opus est. Idem:  
Non opus est dicto: ut scito huic opus est.

Ulus accipitur aliquando pro opus apud Comicos, & eodem modo dativum  
recipit cum ablativo. Terentius: Non usus factio est mihi: & Mihi sic est usus:  
tibi ut opus est factio, face.

APPEN-

Ordinis ut numeralia, ita adjectiva plura,

Sicut inops, alius, diversus, liber, & orbis

Et vacuus, nudus, purus, securus, & alter.

A vel AB accedente petunt casum latialem.

Numeralia ordinis, ut quotus, primus, secundus, & similia: item qua-  
dam alia adjectiva, postulant adjectivum cum Praepositione à vel ab.  
Quotus est à rege? primus Imperio & potentia secundus est à principe. Inops ab  
amicis, alius ab illo, alter à rege. Est totus à me diversus, liber ab omni molestia.  
Cicero: Orba fuit ab optimatibus illa conicio. Vacuus ab odio & ira. animus ab  
omni labe purus. Securus ab omni metu. Sic, Integer à vitiiis: Castus à veneris,  
&c. Quaedam horum etiam aliter construuntur: ut supra est dictum.

## CAPUT TERTIUM.

## DE SYNTAXI PRONOMINIS

Pronomen, quia loco Nominis ponitur, Syntaxin ejus plerumque  
etiam imitatur: ut constat ex subjecta tabella.

Pronomina accepta { Adjectivè, conveniunt cum substantivis in genere, numero, &  
casu ut, Meus pater, mea mater, tuum pecus.  
Substantivè, genitivum exigunt. ut, id temporis, id aetatis, illud  
negotij. Cicero: Tibi autem idem consilij do. Quid causae?  
Quid mali? Aliquid monstri. Plautus: hec noctis.  
Partitivè, regunt genitivum pluralem. ut, Haec volucrum.  
Ista sororum. Quilibet vestrum. Ovidius: Quisquis fuit ille  
Deorum.

Pronomina quaedam capiuntur { Activè: ut haec quinque possessiva, Meus, Tuus, Suus, Noster,  
& Vestri. ut, Amor tuus, quo tu amas aliquid.  
Passivè: ut hi quinque genitivi Primitivorum, Mei, Tui, Sui,  
Nestri, & Vestri. ut, Amor tui, quo tu amaris ab aliquo.  
Partitivè: ut hi duo genitivi plurales Nostrium & Vestrum. ut,  
Uter vel quis vestrum? Aliquis vel nullus nostrum. Maximus  
natus vestrum. Majori vestrum partu.

De usu Pronominum Reciprocorum.

Reciproca Pronomina dicuntur, quod ad eandem tertiam personam sese recipiant unde profe-  
ctajunt, eandemque reperiunt ac repetant. Cuiusmodi sunt haec duo, Sui, Sibi, Se, primitivum,  
& Suus, Sua, Suum, derivativum ac possessivum. ut, Iohannes lesit se, Iohannes lesit pedem  
suum, Iohannes erit ut adje veritas. In ha significatio pronominis ad agentem seu principale sup-  
positum, unde prodit, revocatur.

E b

Reciproca

Reciproca ergo sensum inchoare nunquam possunt. unde ineptè dixerit, Suus filius habitat apud me.

Observandum quoque quòd reciprocatio solum fit ad tertiam personam: nunquam verò si sola prima vel secunda persona precedat. Quare barbare & indocte sunt ille locutiones: Dixi sibi, Dixisti sibi, pro ei vel ipsi. Tu semper fuisti secum: pro, cum eo. Dicam patri suo, } pro, ipsius. De hu alibi latius tractam. Pone ad pedes suos, }

CAPUT QUARTUM. DE SYNTAXI VERBORUM.

[Casus Verborum sunt duplices; communes, & proprii.]

Communes (qui omnes à tergo reguntur) sunt. { Dativus à verbo acquisitivè posito reclus. Accusativus } qui vel distantiam vel tempus denotat. Ablativus } Ablativus, significans instrumentum, causam, aut modum agendi: & pressum. Item genitivus, dativus, accusativus, & ablativus nominum locativum.

Propriorum alij à fronte, alij à tergo reguntur.


À fronte reguntur { Nominativus ante verbum personale finiti modi. Accusativus ante verbum personale infiniti modi.

Reliqui omnes casus reguntur à tergo. ]

À fronte adsciscit casum pars unica, Verbum.

À tergo pars quæque regit: Conjunctio nusquam.

Summa istius ferè quarti capitis.



DE

DE VERBIS ANTE SE NOMINATIVUM EXIGENTIBUS.

PRIMA REGULA.

Quæ suprâ cap. 1. est tertia.

Rectum à fronte capit persona convenientem Et numero, verbum quod Personale vocatur Finitique modi. Sed rectus sæpe tacetur In primæ personæ verbis atque secundæ, Si nulla Emphasis aut Discretio significetur.

Nominativus antecedit verbum Personale finiti modi eodem numero & persona.

Semper aratus eget. Virtus beatos efficit. Virgilius: Labor omnia vincit improbus. Terentius: Quid si nunc calum ruat?

Sed in verbis primæ & secundæ personæ nominativus sæpe non exprimitur, sed intelligitur.

ut, Eloquar, an fileum? scilicet ego. Toto erras calo, scilicet tu. Nimirum in vetitum, scilicet nos. Vivite felices, scilicet vos.

Perfius: Vive memor lethi: fugit hora: hoc quod loquor, inde est.

Nominativus verò tertiæ personæ, quia incertus est, semper debet exprimi.

Martialis: Ridet ager, vestitur humus, vestitur & arbor.

Cur dictum est in Regula Personale? Quia Impersonale nullum ante se casum habet. ut, Statur, curritur. Pœnitet me peccati. Libet experiri. Expediit tacere. Ovidius: Luditur in castris. Claudianus: Vivitur exiguo melius.

Cur dictum est Finiti modi? Propter Infinitivum: de quo est proximè sequens Regula.

Duabus de causis Nominativus in verbis primæ & secundæ personæ debet exprimi.

Primo, Causa discretionis, ut unum ab altero discernatur: seu, quum diversa studia significamus. veluti, Ego in portu navigo, Tu in medina ad huc heres fincibus. Tu negas, ego affirmo.

Secundo, Emphaticos seu significantius dicendi gratia: seu, quum plus significamus quàm dicimus. ut, tu me vinceres: quasi dicat, tam parvulum, tam imbecillum, tam ignavum? Tu audes ista loqui? Virgilius: Tu mihi quodcumque hoc regni, tu sceptrum, Jovemque Concilium: tu duo epulu accumbere divitum.

Quinque modis ponitur aliquis loco Nominativi.

1. Infinitivus sine casu. ut, Iudere est gratum pueris. Amare & sapere vix diu conceditur. Idem velle & nolle, ea demum est vera amicitia.

B b 2

2. Infini-

- 2. Infinitivus cum casu aliquo:  
*Seneca: Argumentum est recte, displicere malis. Publius: Beneficium accipere est libertatem vendere. Terentius: Seni verba dare difficile est. Ovidius: Est virtus placitum abstinuisse bonis.*
  - 3. Oratio nominativi & verbi. ut, *Quod non studeas, efficit quo minus doctus evadere. Quod negotium mecum curasti, fuit mihi gratum.*
  - 4. Vox accepta technicas, quod dicunt materialiter.  
*ut, Amo est Verbum, Ego est prima persona, Domini est genitivi casus.*
  - 5. Adverbia quaedam, vel sola, vel genitivo juncta.  
*Terentius: Bene si tibi. Savi testium est. Virgilius: Fraudis abunde est. Martialis: Dic mihi, cras istud, Postume, quando venit. sic, Partim virorum sunt occisi.*
- In verbis excepte seu exempta actionis (que etiam impersonalia dici possunt) Grammaticorum vulgus, cum Græcorum, tum Latinorum, nominativum Deus vult subaudiri.

Hæc exempti actus Impersonalia dantur:  
*Fulminat, atque tonat, ninguit, pluit, atque corniscat,  
 Vernat & assivat, gelat, autumnatque, hiematque.  
 Hibernat, quandoque, tonitruat, atque pruinat.  
 Grandinat, & rorat, noctescit, deinde diescit,  
 Lucescit, simul aurorat: conformia junges.*

Vocantur autem hec verba exceptæ actionis, quod eorum actio in nostra potestate non sit, sed soli Deo conveniat.

Sunt & alia quaedam in quibus nominativus intelligitur: ut aiunt, ferunt, dicunt, narrant, perhibent, prædicant. que Grammatici vocant verba hominum. ut, *Lolium (ut aiunt) facile crescit. Terentius: Ita prædicant. Cicero: Xenophontis voce Musæ: quasi locutus ferunt.*

In quibus Nominativus homines intelligitur.  
 Conformia junges.) ut, *vesperascit, advesperascit, crepusculascit, diluculat, diluculascit, differemat.*

DE VERBIS ANTE SE ACCUSATIVUM RECIPIENTIBUS.

SECUNDA REGULA.

Infinitivum quartus præcedere gaudet.

Infinitivus verbi Personalis recipit à fronte accusativum.

*ut, Jube patrem salvere, Video te sapere, Negat se scire.*

*Plautus: Ego illum perisse duco, cui quidem perit fides.*

Movendus hoc loco puer est, Infinitivum solum exponi per verbum finitum & nominativum adjectiva particula quod, vel ut.

Per quod exponitur in verbis sensuum. ut, *Video te sapere: id est, quod tu sapi vel sapias.*

*Gaudere adesse, vel quod tu adssi.*

Per ut, cum verbis voluntatem aut facultatem significantibus, ut, *Volo filium meum studere: id est, ut filius meus studeat.*

Quod si duo sint accusativi, is antecedere intelligitur, qui per nominativum declaratur: alter qui manet, consequitur. ut, *Nolo filium meum audire sermones: obsecro: id est, nolo ut filius meus audiat sermones obsecro.*

Regula

Regula de usu particule Ur.

1. *Tam, Tamus, Tals, Adèò, Ita, Tot, Sic*  
 & similes particulas
2. *Verba rogandi seu petendi, & jubendi,*  
*Facto, Efficio, Fio, Volo, Curo, Laboro,*  
*Timeo, Metuo, Vreor, &c.*
3. *sequitur ut, non quod.*

- 1. *Tam doctus est, ut nemini cedat. Tals est, ut omnibus admirationi sit.*
- 2. *Obsecro ut mihi parcas. Oro (rogo) ne quid facias, vel, ut ne quid facias.*  
*Jussit ut se crebro videres. Imperavit mihi ut ad se venirem.*
- 3. *Fac ut mei memineris. Cura ut rectè vales. Vereor ut possim, vel ne non possim.*  
*Item ut ferè causam finalem significat, & semper gaudet conjunctivo. ut, Conducere aliquem ut taceat. Quod verò ferè causam efficientem significat, & sepius conjunctivo gaudet. ut, Gaudere quod vales: id est, quia vales.*

TERTIA REGULA

Substantis, Vocitantis, quorundamque aliorum Infinitivus, rectum sibi postulat utrumque.

Infinitivus verbi Substantivi, Vocativi, & quorundam aliorum, admittit utrumque nominativum.

Verbi Substantivi: *Rex cupit esse Cæsar.*

*Lacanus: Exeat aula. Qui volet esse pius.*

Vocativi: *Petrus vult vocari Dominus. Gaudes appellari magister.*

Aliorum: *Hic cupit salutari poeta. Cornelius studet videri doctus. Optat haberi nobilis. In quibus omnibus nominativus posterior pertinet ad nominativum verbi præcedentis.*

QUARTA REGULA.

Esse pares optat casus. Sed non malè dices, *Huic licet esse probum.* loquitur sic Tullius ipse.

Infinitivus esse copulat similes casus. ut, *Malim esse literatus quam dives. malim me litteratum esse quam divitem.*

Cum Infinitivum esse præcedit datus, sequitur rectè à tergo datus: interdum etiam accusativus. At cum præcedit Accusativus, accusativum quoque sequi necesse est.

- 1. *Expedi nobis esse probis.*
- 2. *Expedi nobis esse probos.*
- 3. *Expedi nos esse probos: non probis.*

QUINTA REGULA

Per multis verbis Infinitivus adhæret.

Bb 3 Infini-

Infinitivus adhæret familiariter quibusdam Verbis. Cupio scire, Vereor dicere, Memini videre vel vidisse. Terentius: Nesci inescare homines. Idem: Id ut maturent facere. Martialis: Quod sis esse velis, nihilque malis.

DE VERBIS EXIGENTIBUS POST SE NOMINATIVUM.

SEXTA REGULA.

Substans atque Vocans, & personalia quævis, Rectum à fronte sibi, rectum tergoque receptant.

Omne verbum personale finiti modi, utrinque nominativum habere potest, cum utrunque nomen ad eandem rem pertineat, cujusmodi maximè sunt verba Substantiva, Vocativa & alia quamplurima.

Substantiva sunt, Sum, Fio, Forem, & Exsisto.

Ira est brevis furor. Nos fuimus Troës. Senectus ipsa est morbus. Fies de rhetore Consul. Utinam forem litteratus.

Vocativa sunt hæc quinque, Nuncupor, Appellor, Dicor, Nominor, Vocor. Perpusilli vocantur nasi. Hic liber appellatur Syntaxis. Ebrietas dicta est insania voluntaria.

Alia quamplurima: Inscribor heres. Salutor poëta. Insciens feci. Dixit subridens: id est, subridendo. Audies perfidus: id est, dicere. Horatius: Tu rectè facies, si curas esse quod audis: id est, quod diceris. A Gracis accepta locutio est.

Sic, Incedit erectus vel incurvus. Sedet tristis. Dormit securus. Inambulans docet. Studet pronus. Virgilius: Jacet medio resupinus in antro. Abiit orator, redibit exorator.

Est mihi nomen { Iohannes } Latine & eleganter dicitur. { Iohanni } { Iohannis, rarius legitur.

DE VERBIS RECIPIENTIBUS GENITIVUM.

VII. REGULA.

Verba Accusandi, Damnandi, atque Absolvendi, Criminis aut pœnæ nomen patrio sibi jungunt. Accusandi

Accusandi, Damnandi, & Absolvendi verba, adsciscunt genitivum qui pœnam vel crimen certum aut incertum significat.

Accusandi verba quæ præter accusativum admittunt genitivum, potissimum sunt, Accuso, incuso, arguo, redarguo, defero, arcesso, adstringo, alligo, insimulo, postulo.

Accuso te furti, ambitus, lesa majestatis, adulterij, cadis. Incusat filium negligentia. Arcessere aliquem capitis. Arguit illum rei capitalis, summi sceleris. Terentius: Si herum insimulabis avaritia, mille audies.

Damnandi: Damnavit eum parricidij, ambitus, furti, cadis, injuriarum. Horatius: Damnatus longi Sisyphus laboris. Condemnare cadis, capitis, vel rei capitalis, Convincere perjurij.

Absolvendi: Absolvere aliquem sacrilegij, veneficij, repetundarum, peculatus, lesa majestatis, injuriarum. & apud Livium, Liberatus est voti, & voto. Cicero: Non tu absolutus es improbitatis, sed ille damnatus est cadis.

Certa (seu specialia & propria) crimina sunt, furtum, adulterium, cades, homicidium, ambitus, & similia. Incerta seu generalia; peccatum, maleficium, scelus, facinus, flagitium, &c.

APPENDICES TRES.

1. Genitivus criminis (maximè cum his verbis, accuso, arguo, defero, postulo, appello, damno, condemno, absolvo,) mutari potest in ablativum cum Præpositione DE. Livius: Blaetius de productione Dastum accusabat. De ambitu est postulatus. Damnare repetundarum, de repetundis, vel (ut Livius) de pecuniis repetundis. Repetundarum autem, id est, pecuniarum vel aliarum rerum principum aut populo surreptarum. Cicero: Licinium Lenticulam de alea condemnatum colusorem suum restituit. Idem: Accusare aliquem de epistolarum negligentia. Idem: De pravaricatione absolutus. Idem majestate damnatus est.

EXCEPTIO.

Tamen hoc nomen crimen ablativo sine Præpositione effertur. Arguere, accusare, postulare aliquem crimine ambitus. Cicero: Si iniquus es in me iudex, condemnabo eodem ego te crimine. Dicimus etiam, Capite aliquem damnare, punire, plectere.

Verba accusandi interdum Præpositionem IN admittunt. Cicero: Primum me tibi excuso in eo ipso in quo te excuso.

II. Absolvo, libero, alligo, adstringo, multo, obligo, obstringo, quemadmodum suapte natura ablativum petunt; ita & ablativum significantem pœnam crimenve sine præpositione admittunt. Livius: Ego me, etsi peccato absolvo, supplicio non libero. Scelere se alligat, adstringit, obstringit. Multatus est vinculis, verberibus, exsilio, morte.

III. Admoneo, commoneo, commonefacio, genitivum habet cum accusativo.

Admonuit, commouit, commonefecit me officij mei, errati, promissi, arii alieni, veteris amicitia.

Admoneo & commoneo pro genitivo possunt & ablativum cum Praepositione DE admittere.

Cicero: Putavi ea de re te esse admonendum.

## VIII. REGULA.

Aestimo cum fociis patrios petit hosce, minoris, Et pluris, tanti, quanti, parvi, minimique, Cum paucis aliis. Quaedam sexto bene pones.

Aestimandi verba gaudent his genitiuis, Parvi, Minoris, minimi; Pluris, plurimi; Magni, maximi; Tanti, tantidem; Quanti, quantivis, quanticunque, quantilibet.

Verba autem Aestimandi quae hos fere genitivos assumunt, sunt haec potissimum, Aestimo, Facio, Fio, Pendo, Duceo, Puto, Habeo; Sum pro aestimor.

Parvi ducitur probitas. Maximi penditur nobilitas. Plurimi ubique fit pecunia.

Minoris facit famam quam pecuniam. Tanti te facio, quanti alium neminem.

Cicero: Statuite quanti hoc putetis. Ita parvi pendimus, ducimus, facimus.

Cicero: Habetur hic plurius quam alius. Is non putat tua dona esse tanti.

Cicero: Vide quanti apud me sis. Plautus: Plurius est oculus testis unius quam auriti decem. Cicero: Aiebat se tantidem aestimasse, quanti sacerdotem.

Livius: Tanto plurius, quam quanti essent, aestimarentur.

## APPENDIX.

Nauci, Flocci, Pili, Asis, Teruncij, Nihili, cum verbo Facio junguntur.

Cicero: Eum nihili facit. Dicimus etiam, Flocci (vel, nihili,) tuas fortunas

pendo: Non asis, (non Flocci) te aestimo. Terentius: Hujus non facio: ostensa

festuca aut alia re nihili. Formulae sunt proverbiales quibus contemptum significamus. Aequi bonique facio, Boni consulo, singularia sunt.

Quintilianus: Rogat boni consulas, id est, bonum iudices. Terentius: Equidem istud Chreme aequi bonique facio. Cicero dicit, Aequi bonique facere; item,

Aequi boni facere.

Aestimandi verba loco genitivi adsciscunt interdum ablativum qui pretium notat.

Livius: Magna illa cunctatio stetit. Seneca: Data magno aestimas, accepta parvo.

Dicimus etiam adjectiva praepositione; Pro nihilo putare, habere, ducere.

De verbis aestimandi vide fusius infra cap. 4. regul. 32.

IX. RE-

Verba recordandi modo habent patrium, modo quartum.

Sic obliviscor munus vel muneris effer.

Verba memoriae & Oblivionis recipiunt fere genitivum vel accusativum.

Oblivisci insuria vel injuriam. Cicero: Oblivisci temporum: & Causant oblitus est. Reminiscor beneficiorum: vel, beneficia. Caesar: Veteris incommodi reminisci. Cicero: Reminisci Kalendarum Januariarum. Virgilius: Patrios moriens reminiscitur Argos. Recordari hujus rei, & saepius hanc rem, vel de hac re.

Memini pro recordor genitivum vel accusativum admittit, ut, Memini nostri. Virgilius: Numeros memini, si verba tenerem.

Sed quum significat mentionem facio, genitivo tantum jungitur; & interdum ablativo cum praepositione DE. Quintilianus: De quibus multi meminerunt. Venit in mentem, pro Recordor, nominativum, genitivum, & interdum ablativum cum praepositione DE recipit, ut, Venit in mentem ille dies, illius diei, & de illo die.

Recordor, reminiscor, & memini pro recordor, etiam cum ablativo & praepositione DE junguntur. Cicero: De illis (lacrymis) recordor. Idem: De Planco memini. Sic, Cogito de hac re.

## APPENDIX.

Misereor & miseresco neutrum, genitivum exigunt.

Virgilius: Nil nostri misere. Idem: Arcadij quaso miserescite regis.

Sed misereor, aris; accusativum requirit.

Virgilius: Sortem miseratur iniquam: id est, deplorat. hinc versiculus,

Vult miseror quartum, misereri vult genitivum.

Satago exigit genitivum Rerum. Terentius: Cligis suarum rerum satagis: id est, anxio & sollicitus est de rebus suis, res suas anxie curat.

Angor, Disfrucior, Exerucior, Recreor, & Pendeo animi, pro animo, Hellenismum sapiunt. Apud Graecos enim turbarum & affectuum verba junguntur saepe genitivo: quod

Latini interdum imitantur. Atque adeo Pendeo animi, pro animo, etiam Cicero usitatum est. Terentius: Animi sese angebat: pro, angebatur animo; quod usitatum est.

## DE IMPERSONALIBUS.

## XI REGULA.

Haec impersonalia verba, Patherica dicta,

Bb 5 Penitet,

*Pœnitet, atque piget, tædet, pudet, & miserefcit*  
Seu *miseret*, quartum simul optant cum genitivo.

*Miseret me tui, fratris, familia.* Cicero: Sua quemque fortuna pœnitet. Idem: Nihil est faciendum, cuius nos pœnitere possit. Idem: Proxus nos vita tædet. Sic peritædet. Nihil me piget huius laboris. *Pudet me tui.* Non te pudet vanitatis? Sic dispudet. *Miseret me horum temporum.* Terentius: Inopis te nunc miserefcit mei. Plautus: Nemini misereri certum est, quia mei miseret neminem.

Loco genitivi recipiunt interdum infinitivum.  
*Tædet nos vita; vel, vivere.* *Tædet jam audire eadem millies.* *Piget laboris; vel, laborare.* *Pœdet dicere.* *Pudet me facti; vel, secisse.* Fabius: *Pœnitet respicere plura testimonia.*

Hæc autem verba vocantur *pathetica*, quia significant *pathos*, hoc est passionem seu affectum animi.

## XI. REGULA.

*Est, inter-que-est, & refert*, quosvis genitivos

Admittunt, præter passivè significantes.

Dic *nostrum, vestrumque, meumque, tuumque, suum-*  
*que est.*

*Refert, inter-que-est, nostraque, meaue, tuaque.*

Atque *sua; vestra, & cuja: sed nec malè cujus.*

*Est, Interest, & Refert*, admittunt quemvis genitivum, præter hos genitivos pronominum primitivorum, *mei, tui, sui, nostri, vestri, nostrum & vestrum.*

*Est: ut, Regum est tucri leges. id est, ad reges pertinet.* *Prudentis est multa dissimulare. ubi officium intelligitur.* *Prudentius: Labi hominis, servare Dei est.* *Martialis: Non est, crede mihi, sapientia dicere, vivam. Item, Non est moris vel consuetudinis. Non est huius loci, temporis, vel instituti. hic exigentia vel permissio significatur.*

*Interest: Magni interest Ciceronis.* Cicero: *Interest omnium rectè facere: id est, ad omnes pertinet.*

*Refert: ut, Refert tam populi quàm principis.* *Refert omnium animadverti in malos.* *Parvi refert mea quid agas.*

Pro genitivis adsciscunt interdum adverbialia nomina: *Parum, paulum, multum, plus, plurimum, nil, nihil, aliquid, maximopere refert, vel interest.*

Verbum

*Verbum Est*, pro *mei, tui, sui, nostri, vestri*, requirit hos nominativos neutri generis, *meum, tuum, suum, nostrum, vestrum.*  
*Terentius: Mentiri non est meum.* Cicero: *Nostrum est intelligere: scilicet, officium.*

*Interest & Refert* pro iisdem genitivis postulant hos ablativos femini generis, *mea, tua, sua, nostra, vestra: Sic & cuja.*

*Plus mea interest quàm tua.* Cicero: *Nostra aut ipsorum interest.* Terentius: *Tua quod nihil refert, percontari desinas.* Cicero: *Ea cades potissimum crimini datur ei cuja intersuit: non ei, cuja nihil intersuit.*

*Rectè etiam dicitur, cujus interest, & cujus refert, in genitivo.*

*Interest & refert* admittunt hos genitivos verborum æstimandi, *tanti, quanti, parvi, magni, & permagni*, positivos tantum.

*Magni interest ad decus & laudem civitatis, ita fieri.* Cicero: *Magni interest Ciceroni.* Idem: *Permagni nostra interest te esse Romæ.* Idem: *Quanti Reipublice interest.*

*Verum non dicimus, Pluris, plurimi, minoris, vel minimi interest vel refert: sed per adverbia, Plus, Plurimum, Minus, vel Minimum, &c.*

*Livius: Magis referat.* Plinius: *Vehementer intererat.* Horatius: *Intererit multum Divusne loquatur, an heros.* Plinius: *Plurimum refert, quid esse tribunatum putes.* Idem: *Theodoro quidem nihil interest, humine, an sublime putrescat.*

## DE SYNTAXI NOMINUM LOCALIUM.

## XII. REGULA.

Oppida cum vicis flexus primi atque secundi,

Et primi numeri, verbis adijunge quietis

In patrio: Terni sed casus Græcula in e sint.

Quòd si sint flexus terni aut pluralia tantum,

Utendum est ablativo, raroque dativo.

Verba significantia quietem in loco, adsciscunt propria oppidorum & vicorum nomina in genitivo, si sint primæ vel secundæ declinationis, & singularis numeri. Sed si sint vel tertiæ declinationis, vel pluralis tantum numeri, in ablativo, raro in dativo.

1. Primæ vel secundæ declinationis & singularis numeri: *Studet Lætetia, Lovanii, Patavij.* *Negotiatur Antverpia, Amsterodami, Caleti.* Terentius: *Ea habitabat Rhodi.*

Sed Græca in e primæ declinationis, ponuntur in dativo. *ut, Habitat Beroæ, Vixit Myrlens.* Neque enim per genitivum dicere licet, *Habitat Berois, Vixit Myrlenes.*

2. Tertiæ

2. Tertiae declinationis: *Habitat Ancone, Tibure, Neapoli. Rarè in dativo, Anconi, Tiburi. Ancon, Tibur, Neapoli, Italia oppida, sunt tertiae declinationis. Cicero: Sepultus esse dicitur Lacedaemon. Idem: Commendo tibi domum ejus quae est Sicyone.*

3. Pluralis numeri. *Plato docuit Athenis: Apollo Delphis colebatur. Solomon Hierosolymis pulcherrimum magnificentissimumque templum extruxit. Dicimus enim Athenarum, Delphi, orum, Hierosolyma, orum, pluraliter tantum.*

## REGULÆ XII. APPENDICES

## QUATTUOR.

## APPENDIX I.

Oppida cum vicis, si per quod quaestio fiat, In quarto sistes. ut, Romam vadit, It Argos.

Verba significantia motum ad locum, adsciscunt propria oppidorum & vicorum nomina in accusativo: cujuscunque sunt declinationis ac numeri.

Quò is? *Proficiscor Lutetiam, Lovanium, Babylonem, Athenas, Delphos, Romam, Carthaginem, Montem-Pessulanum.*

## APPENDIX II.

Oppida cum vicis, si quando per unde rogetur, Ponentur sexto. veluti, Rediit Babylone.

Verba significantia motum à loco, adsciscunt propria oppidorum & vicorum nomina in ablativo.

*Rediit Lutetia, Lovanio, Babylone, Athenis, Delphis, Roma, Carthagine, Monte-Pessulano.*

## APPENDIX III.

Oppida cum vicis, si quò rogitare, locantur In sexto: aut quartum sibi sumunt per praecunte.

Verba significantia motum per locum, adsciscunt propria oppidorum & vicorum nomina in ablativo, vel in accusativo cum Praepositione per.

*Transibo Lutetia, Lovanio, Babylone, Athenis, Delphis, Roma, Carthagine, Monte-Pessulano: vel, per Lutetiam, per Lovanium, &c. Nam hic ambiguitas tollenda gratia apponitur frequenter Praepositio, ne motus à loco putetur designari: us, Colfero me Romam per Coloniam.*

APPEN-

## APPENDIX IIII.

Regionum, Insularum, & Montium nominibus, sicut & appellativis, additur Praepositio: idque in quavis loci differentia. Item nominibus fluviorum, provinciarum, ceterorum denique locorum.

In loco: *Esse in Europa, Asia, Africa: Est in schola, in cubiculo. Habitat in Germania, in Gallia, in Flandria. Pontem fecit Caesar in Rheno. Exspectat in foro, in atrio. Orat in templo. Somniat in Parnasso.*

Ad locum: *Abire in Italiam, in Hispaniam, in Siciliam. Abire in urbem, in patriam, in forum. Venit in oppidum Biturigum.*

A loco: *Redire ex Gallia, ex Germania, ex Italia, ex Olympo. Redire ex urbe, ex curia. A Rheno castra movit.*

Per locum: *Ire per Britanniam, per Flandriam. Ire per Apeninum, per forum, per macellum.*

## EXCEPTIO.

Appellativa quinque ponuntur sine praepositione quasi propria oppidorum nomina.

Militia, bellum, & humus, cum verbis quietem in loco significantibus, ponuntur in genitivo.

Militia. *Sallustius: Domi militiae, boni mores colebantur. Idem: Domi militiae, mari atque terra, praefata summa fecit.*

Belli. *Horatius: Me primis tibi belli placuisse domique.*

Humi adicitur verbis { Quietis in loco. *Jacere humi.*  
Motus ad locum. *Vergilius: Procumbit humi bas.*  
Motus per locum. *Serpit humi.*

Domus cum verbo { Quietis in loco, in genitivo: *Sum domi.*  
Motus ad locum, in accusativo: *Ire domum.*  
Motus à loco, in ablativo: *Exivit domo.*

Rus cum verbo { Quietis in loco, in dativo vel ablativo. *Fortè evenit ut essemus ruri, vel rure.*  
Motus ad locum, in accusativo: *Ire rus.*  
Motus à loco, in ablativo: *Redire rure.*

## APPENDIX.

Domus in hac Syntaxi admittit solum hæc adjectiva, *mea, tua, sua, nostra, vestra, & aliena.*

*Esse domi mea, tua, sua, nostra, vestra, aliena.*

*Cicero: Nonne malis sine periculo esse domi tua, quam cum periculo aliena?*

*Ire donum meam, tuam, suam, nostram, vestram, alienam.*

Discedere

Discedere domo mea, tua, sua, nostra, vestra, aliena.

Ovidius etiam pluraliter dixit, Vestras quisque redite domos.

& Cicero, Reliquias suas domos comportarunt.

Ceteris adjectivis addi debet Præpositio.

Esse in domo paterna, vel, Esse domi patris. Esse domi Casaris. Esse domi huius vel alterius. Cicero: Huius domi est mortuus. Idem: Qui istius domi erat educatus. Idem: Prima luce Pomponij domum venisse dicitur. Discessit domo patris sui. Nam domi, domum, domo, etiam cum substantivis copulantur.

## DE VERBIS RECIPIENTIBUS

### DATIVUM.

#### XIII. REGULA.

Acquisitivè si ponas verba, dativum  
His dato. Communis fermè omnibus esto dativus.

Omne verbum acquisitivè positum, regit dativum: qui casus est communis omnium ferè verborum.

Prodesse multis. Obesse nemini. Spero hoc mihi profore. Plautus: Mihi illuc nec feritur, nec metitur. Publius: Cuivis dolori remedium est patientia.

Terentius: Si quid peccat filius, mihi peccat.

Verbum autem dicitur acquisitivè poni, per quod aliquid acquiri vel adimi significatur. Eiusque casus omni Verbo communis est, etiam absoluto.

Nam quodvis verbum admittit dativum ejus personæ in cuius gratia aut commodum vel incommodum aliquid fit. Doce mihi filium meum. Conserva mihi hunc librum.

Triplicia Verba ad hanc regulam potissimum pertinent.

1. Verba quæ commodum vel incommodum significant.

Commodum. Tibi quibuscumque rebus potero, labens sine commodabo. Prodesse alicui.

Terentius: Dii tibi benefaciunt. Publius: Boni nocet, quicquid pepercerit malum.

Incommodum. Incommodare vel obesse alicui. Nocere vel officere valetudini.

Publius: Extremis multo facilius casus nocet.

2. Verba obsequij & obedientiæ ac submissionis, adulationis, favoris & studij, auxiliij, & repugnantia.

Obsequij & obedientiæ ac submissionis: Obsequi parentibus. Servire temporibus.

Subservire orationi absque. Cicero: Sic mihi obtemperavit, tanquam filius patri. Ausculto tibi: id est, obedio. Ausculto te: id est, audio. Audio tibi non dicimus: sed dicto audiens alicui, id est obsequens. Nam audire cum accusativo significat etiam parere precipienti, vel credere. Cicero: Nunquam labere, si te audies. Te audi, tibi obtempera. Nec Homerum audios id est non credo Homero. Et sine verbo, Nec audiendi quidam: id est, non credendi.

Adulationis: Adulari, assentari, blandiri, lenocinari, palpari, supparasari. Blandiri summi. Cicero: Tibi assentatur.

Favoris & studij: Faveo, studeo, vado, arideo, annuo, assentio vel assentior, adspulor, bene facio, bene opto, bene volo, bene cupio, bene dico, suffragor, subscribo, &c. Faveo tibi, &c.

omnibus

omnibus viris probis. Tibi bene ex animo volo. Cicero: Senatus mihi assensus est.

Auxilij. Auxiliari moribus. Subvenire, succurrere miseris. Alicujus inopie opitulari, suppetias vel auxilium alicui ferre. adnuculari, patrocinari, &c.

Juvo tamen & Adjuvo accusativum tantum exigunt.

Audentes fortuna juvat. Fortes fortuna adjuvat.

Terentius: Pamphilumne adjutem, an ausulicem seni.

Alia omnia verba opem ferendi, junguntur dativo.

Repugnantia. Principes obsta. Venienti occurrere morbo. Obistere conatibus alicujus.

Iraferi vel succensere alicui. Obstreperere, Obmuti, Adversari, Minari cuiquam, Insidiari alicui.

Reclamat, resistit, repugnat, refragrat petitioni meæ. Deus superbus resistit.

3. Relativa, seu quæ respectum indicant: Collata alij vocant.

Si non sum tibi uxor, non eris mihi maritus. Si fueris mihi civis, ero tibi consul.

Aristoteli spongiae sentiunt. Cicero: sola virtus bonum est.

### APPENDIX.

Huc pertinent Relativa omnia per compositionem, de quibus est sequens distinctio.

Multa petunt ternum quæ constant Præposituris:  
Scilicet ante, sub, in, post, præ, super, inter, ad, ob, con.  
Horum permultis rectè quoque quartus adhæret.

Ante. Antestare omnibus. Amicitia omnibus rebus anteposenda.

Cicero: Vel iniquissimam pacem justissimo bello antepferrem.

Sed hac tria, Anteeo, Antecedo, Antecello, admittunt modò dativum, modò accusativum. ut, Antee, Antecedere, Antecellere; omnibus vel omnibus.

Plautus: Virtus omnibus rebus anteit. Sallustius: Et cum omnes gloria anteiret.

Antecello tamen serè dativo jungitur.

Sub. Subesse imperio. Rem dicendo oculis subicere. Vereor ne dolus patri suboleat. Succumbere dolori. Subservire orationi.

Publius: Honestè servit, qui succumbit temporibus.

In. Insidere equo, curru, saxo. Inimori studiis. Inniti arundini. Insundere vinum cyathis. Animi corporibus inherere: vel, in corporibus.

Horatius: Congestis undique saccis indormis. Ovidius: Fastus inest pulchris.

Horatius: Juvat impallescere chartis.

Post. Posthabui tamen illorum mea seria ludo. Postponere pecuniam famæ, Non decet indignis dignos postponere cives.

Præ. Præbibo tibi. Præcipere alicui locum. Divitem rudis & ignarus docto præfert. Cicero: Ut vobis voce præiret. Idem: Ego meum majoribus mea virtute præluxi.

Pauca sæpius accusativum exigunt:

Præeo, pro vinco; Præcurto, Præcedo, Prævenio, Præverto vel Prævector. Ne lingua præcurrat mentem. Præcedit me quatuor annis.

Præsto



Præsto dativum vel accusativum recipit.

Præstare omnibus (vel, omnes) eruditione.

Super. Superesse labori: id est, vincere laborem, apud Virgilium. Parentes saepe suis liberis supervivunt.

Inter. Interesse sacra concioni, rei divina, convivio. Intermiscere vera falsis.

Cato: Interpone tuis interdum gaudia curis.

Ad. Adstat, assidet, accumbit regi. Ego tuis rebus adero. Admovere manum operi. Advolvi genibus alicujus. Mendacio succum addidit. Affinxit aliquid veris, Terentius: Arridere omnibus.

Ob. Obstrepere, Obmurmurare, Obgannire alicui. Obtreclat absentibus. Favor officii iudicio.

Con. Convixit mihi. Commiscet sacra prophanis. Colludere paribus, vel cum paribus. Comparare, conferre magna parvis, vel cum parvis.

Virgilius: Sic parvis componere magna solemus.

Horum compositorum quaedam simul cum dativo etiam accusativum admittunt; ut ex adductis ante exemplis manifestum est.

## APPENDIX II.

Multa regunt ternum, quibus haud est regula certa.

ut, renuncio tui. Cano receptui: id est, ut milites à pugna recipiant se & redeant.

Cano progressui: id est, ut ad pugnam progrediantur.

## XIIII. REGULA.

Multa simul ternum cum quarto verba requirunt.

Multa verba recipiunt dativum cum accusativo.

Dandi, & Reddendi,

Nuntiandi & Declarandi, ac Indicandi,

Promittendi,

Imperandi & Committendi, ac Prohibendi,

Auferendi,

Comparandi,

Alia multa.

1. Dandi & reddendi. Terentius: Seni verba dare difficile est. Cedo mihi dexteram. Præstabo tibi promissa: vel, datam fidem. Suppedita mihi chartam, sumtum, &c. Redde mihi librum meum. Restituo, resigno, retribuio, rependo, refero, &c.

2. Nuntiandi & Declarandi, ac Indicandi. Narrabo, dicam, scribam tibi rem omnem ordine. Indicere populo jejuniū, serias, bellum. Prascribere, præfigere,

præfigere, constituere, condicere alicui diem ac locum. Indica mihi rem omnem.

3. Promittendi. Promitto tibi meam operam. Pollicitus es mihi montes aureos. Quis tu præstas quæ mihi coram recipisti?

Cicero: Tulliam C. Pisoni despondimus.

4. Imperandi & committendi, ac prohibendi. Imperavi mihi silentium.

Injungo tibi hoc negotium. Mandavi fortuna laqueum. Mandavit illi magistratum. Terentius: Ovem lupo commisi. Non ausim me credere huic calo.

Delegavit alteri suam vicem. Prohibeo tibi domum: vel, Prohibeo te domo.

5. Auferendi. Plautus: Detrahete nudo vestimenta. Eximiam tibi scrupulum. Dies adimit egritudinem hominibus. Ego tibi hanc curam adimam.

Publius: Eripere telum, non dare, irato decet.

6. Comparandi. Comparo, compono, confero, equo, exaquo, antepono, postpono, &c. Comparo Virgilium Homero; vel, cum Homero. Tibiam tuba comparare. Mors sceptri ligonibus aequat.

7. Alia multa, de quibus certa non potest dari regula. Precor tibi fastam noctem. Opto tibi incolumem reditum. Exhibet mihi molestiam. Facestis negotium. Tangit ulcus. Movit mihi risum, lacrymas, bilem, vel stomachum.

Peperit vel conciliavit sibi multorum benevolentiam, gratiam, favorem, odium.

Plautus: Odi ego aurum, multa multis saepe suasit perperam. Plinius: Impendere tempus studiis. Quintilianus: Studia juvenibus erudiendis impendere.

Cicero: Pecuniam impendere in res aliquas. Sumtum impendere ad incertum casum & eventum. Erranti monstrare viam. Terentius: Jam ne ostendisti signa nutrici? Plinius: Neque ego, ut multi, invidio alii bonum, quo ipse careo.

## APPENDIX.

Interdico tibi carnem, vel carne, Latinum est.

Interdico jungitur dativo & accusativo, & saepius dativo & ablativo. Interdico tibi domum meam; vel, interdico tibi domo mea: ades meas; vel adibus meis.

## XV. REGULA.

Ternum pro sexto casu cum Præposituris

À vel ab adjunctum passivis saepe videbis.

Cur tibi despicior? Nunc omnibus itur ad aurum.

Passivis saepe dativus apponitur, pro ablativo adjecta præpositione à vel ab.

Videris mihi sapere. Non probatur omnibus: vel, ab omnibus. Ausonius: Bono probari malo, quam multo malo. Ovidius: Terra tibi, nobis adspiciuntur aqua.

Quæ constructio poetis frequens est.

Eadem est Syntaxis in passivorum participiis, præteriti & futuri temporis, maximè cum fiunt nomina.

Hic mihi nunquam visus est. Vir probatus omnibus ac dilectus. Terentius: Chremes mihi exorandus est. Idem: Frater est expectandus mihi.

Sæpe dativum, pro quarto cum Præposituris.

Ad vel In adjiciunt verbis pro more poëtæ.

Verba quædam motus ad locum, apud poëtâ sæpe dativum recipiunt, loco accusativi cum præpositione ad vel in. Quod cum apud alios, tum in primis apud Virgilium frequens est.

Virgilius: It clamor celo: id est, ad celum. Idem: Gregem compellere hibisco: id est, ad hibiscum. Idem: Ruit Oceano nox: id est, in Oceanum. Idem: Inferrè que Deos Latio: hoc est, in Latium. Terentius: Mulier commigravit huic viciniae: pro, in hanc viciniam.

## XVI. REGULA.

Sunt quædam geminos verba admittentia ternos.

ESSE & alia quædam admittunt sæpe duos dativos.

Prior personam significat, alter commodum vel incommodum, qui exponitur etiam vulgò per ad cum accusativo.

ESSE. Esse omnibus risui vel ludibrio. Hoc erit tibi laudi vel infamiae.

Esse solatio, delectationi, neglectui, auxilio, impedimento, testimonio. Hoc fuit mihi fraudi vel damno. Est mihi maximè cordi, vel cura. Cui bono fuit?

Cicero: Ut & nobis honori, & amicis utilitati, & reipublica emolumento esse possitis. honori, id est, ad honorem. Livius: Ea qua gloria esse debent, in crimen vertis.

DO. Dedit mihi librum dono, vel pignori: pecuniam senori. Gallo crimini dedit. Hunc mihi dedit mancipio. Cicero: His non modo non laudi, verum etiam vitio dandum puro.

DUCO. Id gloria, honori, laudi, vel vitio ducitur. Cicero: Si quis despiciat ducitur. Plautus: Nemo id probro ducit Alcmena. Idem: Minusque id mihi damno ducam.

VERTO. Varro: Quod alius vitio vertis, id tu tibi laudi ne duxeris. Vertis id mihi stultitiæ?

Exponitur serè hic posterior dativus per Præpositionem ad vel in. ut, Venire alicui subsidio, id est, ad vel in subsidium. Dicere sua bona doti, apud Terentium: pro, ad dotem. Cicero: Sit tibi Consulatus iste sempiternæ laudi: id est, ad laudem sempiternam, vel, sempiternam tibi laudem asserat.

TRES

1. Aliquando sine discrimine dativus ponitur vel nominativus. ut, Exemplo, vel exemplum erit formica. Esse alicui remedio vel remedium, indicio vel indicium, impedimento vel impedimentum. In quibus dativus pro nominativo ponitur per Enallagen.

2. Est & Sunt, Habeo quum signant, junge dativo.

Est mihi quod agam. Summa necessitudo mihi cum illo est, fuit, erit, &c.

Virgilius: Est mihi namque domi pater, est injusta noverca. Idem: Sunt nobis mitia poma. Fons cui nomen Arethusa est.

A Sam composita recipiunt etiam serè dativum.

Adesse, Obesse, Prodesse, Præesse alicui. Deest mihi pecunia, superest illi.

Timentibus Deum nihil deest, & his qui diligunt eum in veritate.

3. Habeo frequenter cum accusativo admittit dativum qui per præpositionem ad & accusativum exponitur.

Habet me odio, ludibrio, contentui. Habere aliquid voluptati, quæstui, probro, religioni, id est, ad voluptatem. Sallustius: Perinde quasi ea honori non præda habeant. Habere aliquid cura apud Plautum, studio apud Terentium, subsidio apud Columellam. Cicero: Habeat me ipsum sibi documento: id est, meo exemplo faciat. Livius: Neque eares capitali vox habetur.

DE IMPERSONALIBUS  
QUIBUS DAM.

## XVII. REGULA.

Evenit, & præstat, restatque, vacatque, licetque, Sufficit, & constat, liquet, expedit, & conducit, Convenit, atque placet, libet, accidit, & contingit, Et dolet, apparet, prodest, confert, venit usu. Hæc & talia, sive impersonalia, sive Personalia sint, casum poscunt sibi ternum. Atque infinitum rectè sibi pleraque jungunt.

Quæ eventum significant, dativo junguntur. ut accidit, cadit, contingit, evenit, cedit, succedit, &c.

Seneca: Cui nasci contingit mori restat. Ovidius: Non vacat exiguis rebus adesse Jovi. Cicero: Peccare licet nemini. Martialis: Sufficit unus Huic operi. Unde tibi hoc constat? Non satis mihi liquet. Constat omnibus; & inter omnes Terentius:

Cc 2

Terentius: *Vobis expedit esse bonas.* Plinius: *Corpus augere volentibus conducit inter cibos bibere.* Idem: *Convenit amori in te meo, pramonere quid debeas agere.* Terent. *Ille bonus vir nobis psaltriam, si Diis placet, paravit.* Idem: *Prodeambulare huc libitum est mihi.* Cicero: *Si quid mihi humanitus accidisset.* Horatius: *Non cuivis homini contingit adire Corinthum: id est, rem assequi difficilem, proverbialiter.* Seneca: *Nobis dolet quod solem emere non possumus.* Claudianus: *Non crescere profuit Hydra.* Cicero: *Nunc venit idem usu mihi.* Et talia.) *Ut patet, superest, competit, suppetit, &c.*

## DUÆ APPENDICES VERBORUM CUM DATIVO.

1. *Dativi tres, Tempori, Vesperti, & Luci, pro adverbis temporis ponuntur.*

*Surgendum erat tempori. Venit vesperti. Luci occidit hominem.*

2. *Dativi Mihi, Tibi, Sibi, sæpe verbis apponuntur festivitatis gratia, & ut sonantior sit oratio.*

*Cicero: Hic mihi etiam gloriatur. Horatius: Quid mihi Celsus agit? Terentius: Sui sibi hunc jugulo gladio.*

## DE VERBIS RECIPIENTIBUS ACCUSATIVUM.

### XVIII. REGULA.

#### Accusativum quævis activa requirunt.

Verba Activa accusativum exigunt.

Verba Activa hoc loco appellamus, quæ actionem significant: vel potius, quæcunque post se accusativum postulant, cujuscunque sint terminationis. cæque sunt quadruplicia.

1. *Verba Activi generis. Sapiens contemnit opes. Durerus hanc tabulam pinxit. Nesumtus censum superet. Cole deum. Novi animum tuum.* Virgilius: *Bacchus amat colles.* Ovidius: *Phæbus amat laurum.*
2. *Multa neutri generis. Coquere cerevisiam. Bibit vinum. Sirit sanguinem.* Cicero: *Alienam vicem dolere.*
3. *Multa deponentia. Comitabor fratrem. Reverere parentes & præceptorem. Majores natu verere. Imitare viros probos & pios.* Horatius: *Nec tardum opperire, nec præcedentibus in isto.*
4. *Communia in Activa significatione. Brutus terram osculatur. Servus herum criminatur. Non frustrabor te diutius.*

#### Quartum neutra regunt activè sumta frequenter.

Quædam neutra seu absoluta pro activis posita, accusativum figuratè admittunt.

*Olere vinum, cerevisiam, unguenta exotica.* Horatius: *Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum. Sapit mel, saccarum, adustionem. Callere technas, sermonem Gallicum.* Ovidius: *Fata manent omnes: id est, expectant.* Martialis: *Defunctum non stet, cum sola est Gellia, patrem.* Item hæc, *Sapit haresim. Olet lucernam. Redolet antiquitatem, quæ per metaphoram figurata sunt.*

*Persius: Cum sapimus patruos. Horatius: Vineta crepat mera. Operam lusit. Flare inanes glorias. Virgilius: Corydon ardebat Alexin. id est, vehementer & impatienter amabat.*

### XX. REGULA.

#### Quædam verba duos varios quartos sibi jungunt.

Interdumque alter quartus convertitur aptè

In sextum casum subjectum Præposituræ.

Verba quædam Docendi, Rogandi seu petendi, & Monendi, atque alia quædam, & his tum similia tum contraria, recipere possunt duos accusativos diversos: alterum personæ, & alterum rei. eorundemque nonnulla frequenter mutant alterum accusativum in ablativum cum præpositione.

Communiora his versiculis continentur:

*Flagito, posco, reposco, precor, rogo, & obsecro, & oro, Exoro, moneo, admoneoque, interrogo, itemque Erudio, doceo, cum dedoceo, edoceoque, Perdoceo, & celo: geminos poscunt sibi quartos Diverfos. Sed dic, Veniam te posco, vel à te.*

*Docendi. Doceo te Grammaticen, Gracas litteras, sermonem Latinum. Dedocebo te istos mores.*

*Rogandi seu petendi. Orare, Obsecrare, Poscere Deum veniam. Hoc te unum oro. Terentius: Sine te hoc exorem. Illud in primis te percontamur.*

*Plautus: Quæso quod te percontabor, ne id te pigeat proloqui. Cicero: Pustionem*

nem quendam interrogat quadam Geometrica de dimensione quadrati. Sed accusativus persona interdum supprimitur. Virgilius: Unum oro, doceas iter.

Verba petendi, rogandi, percontandi, prater accusativum ferè postulant ablativum cum præpositione A' vel AB. Peto, posco, reposco à te librum meum. Quæro, percontor, sciscitor à te, vel ex te veritatem. & Ego te isdem de rebus interrogabo. Postulare, Poscere, Exigere quidpiam ab aliquo Eloquentiam à Philosopho non admodum flagitem.

Monendi. Illud te moneo, admonéo. Cicero: Si te unum illud monuerimus. Amicos de hac re consulam.

## APPENDIX.

Moneo, admonéo, commoneo, doceo, edoceo, erudio te de hæc re: id est, commonefacio, certiore facio. Sallustius: Senatum edoceret de itinere hostium.

Celo Syntaxim hoc modo variat:

1. Celo te consilium meum. raro.
2. Celo te de consilio meo. sapissimè.
3. -Celo tibi consilium meum. Sed hoc rariùs, nec ferè nisi in voce passiva usurpatur.

Excipitur à regula superiori Supplicio, quod recipit solum dativum.

Terentius: Ipsum hunc orabo, huic supplicabo.

Dixi accusativòs diversos: quia sunt & alia quæ duos adsciscunt accusativos, sed non diversos: ut verba vocandi, & alia multa.

Omnes te beatum predicant, illum infelicem appellant. Præsta te virum. Virum te judico. Facio te arbûrum. Vocat me magistrum. Terentius: Facio te apud illum Deum.

## XXI. REGULA.

Quorum activa duos varios jungunt sibi quartos, Illorum passiva rei quartum modò poscunt.

Passiva verborum duos diversos accusativos regentium, recipiunt tantùm accusativos rei.

ut, Doceo discipulum Grammaticen, Discipulus docetur Grammaticen. non contra, Grammatice docetur discipulum. Horatius: Doctus iter melius. Sallustius: Catorogatus sententiam. Cicero: Nec ea que monemur audimus. Idem: Multa extis admonemur.

Doctus pro accusativo rei adsciscit etiam ablativum.

Doctus literis Græcis, vel litteras Græcas. Cicero: Docti & Græcis literis & Latinis. Sallustius: Sempronia literis Græcis atque Latinis docta. Eruditus ablativo jungitur. Cicero: Græcis literis eruditus. Idem: Socraticis disputationibus eruditus.

DE

## DE VERBIS VESTIENDI.

## XXII. REGULA.

Induo & exuo veste patrem, patri quoque vestem.

Vestio cum cingo quartum & sextum simul optant.

Induo & exuo recipiunt dativum cum accusativo, vel accusativum cum ablativo.

Induo mihi tunicam: vel, induo me tunica. Induo subuculam. Exuere sibi chlamydem: vel: Exuere se chlamyde. Exuere aliquem regno, armis, omnibus bonis. Exuere manus vel pedes vinculis. Translatè dicitur, Exuere omnem humanitatem, hominem, antiquos mores, &c.

Cingo verò & Vestio recipiunt ferè accusativum cum ablativo.

Cingere se gladio. Cingere urbem mœnibus. Terra se vestit gramine. Vestire templi parietes tabulis & aulæ. Cicero: Natura oculos tenuissimis membranis vestivit & sepsit. Puella puerum vestit. Hic adduntur calceo & insterno. Calceare se soccis.

Horum passiva retinent activorum casum posteriorem, accusativum, vel usitatius ablativum.

Virgilius: Induitur galeam. Thoracem indutus. Sed ita Cicero: Vir indutus muliebri vestitu. Dij induti specie humana. Exuitur vestibus. Terra vestitur floribus. Accingi gladio, armis. Plinius: Calceatus cothurnis.

## XXIII. REGULA.

Temporis atque loci spatium verbis bene adhæret In quarto casu. verumtamen haud malè sexto.

Spatium loci & temporis apponitur verbis in accusativo, & interdum in ablativo.

Spatium loci dicitur, cum ejus mensura aut intervallum seu distantia indicatur: seu cum respondetur ad quantum, quàm, aut quàm p: ocul. Quod sit hujusmodi nominibus, Pes, Passus, Stadium, Milliarium vel Milliære, Parasanga. Est autem Stadium, octava pars miliaris: Parasanga, spatium triginta stadiorum.

Spatium temporis est, cum ad quamdiu respondetur. ut, Quamdiu regnavit Romulus? Septem & triginta annos vel annis. Huc pertinent voces quibus certam temporis quantitatem significamus. ut, Momentum, Hora, Dies, Hebdomas, Mensis, Annus, Olympias seu Lustrum, Actas, Seculum.

Spatium loci

In accusativo. Pedem hinc unum cave abieris. Antverpia hinc abest quindecim millia passuum. Distas hinc Roma miliaria ducenta sexaginta.

Cc 4

Babylon

*Babylon patēbat fedetm millia passuum. Virgilius: Dic quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo) Treis pateat cali spatium non amplius ulnas? Plautus: Situ hercle ex istoc loco digitum transver sum aut unguem latum excesseris.*

*Cesar: Cum tridui viam processisset. Cicero: Cum abessem iter unius diei.*

*In ablativo. Mechlina abest Lovanio quattuor milliariis vel milliariis. Colonia hinc distat itinere tridui. Abest mille passibus. Virgilius: Nec longū inter se passibus absunt. Livius: Romana castra viginti millium spatio aberant.*

## Spatium temporis.

*In accusativo. Mensē hunc totum decubuit. Quinquaginta annos natus est. Jam seculum te operimur. Nestor vixit tres hominum aetates.*

*Virgilius: Noctes atque dies patet atri janua Ditis.*

*Additur interdum prapositio. ut, Conduxit domum in tres annos.*

*Cicero: Cum ad multam noctem vigilassem. Idem: Tenuisti provinciam per decem annos.*

*In ablativo. Nemius: Septem horis dormisse sat est juvenique senique.*

*Virgilius: Hic tamen hac mecum poteris requiescere nocte.*

*Plinius: Sub vertice Arctico nemo sex mensibus videt solem.*

## XXIII. REGULA.

Temporis atque loci speciem solo exprime sexto.

Species loci & temporis effertur tantum ablativo.

Species loci est, si per *ubi* fiat interrogatio de distantia loci: sive, quomodo queritur ubi & quam procul aliquid sit vel fiat. ut, *Captus est quarto ab urbe lapide.*

Sed & ipsi distantiae loci adicitur etiam prapositio. *Plinius: Cum ad tertium ab urbe lapidem castra posuisses. Cicero: Accepi tuas literas ad quintum milliare. Prope ripas Anienis a tertio milliario.*

Species temporis dicitur, cum sit interrogatio per *quando*. ut, *Quando invises me? Vere proximo te invisam. Prima luce profectus est. Scripsi epistolam superioribus diebus multa nocte, hora duodecima. Cicero: Rediit luce, non tenebris.*

Additur & hic interdum Prapositio. *Non venit ad statutam horam, ad constitutum tempus, ad dictum diem. Virgilius: Sub noctem cura recursat. Surgere noctu, nocte, & de nocte: diu, die, & de die. Horatius: Ut jugulens homines, surgunt de nocte latrones. Venire tempori, tempore, & in tempore. Terentius: In tempore ad eam veni.*

Et per adverbia: *Vesper, heri vespere, pridie vespere.*

*Cicero: Ad me vespere literas misit. Idem: Caesar magnas copias brevi habiturus est. Sic Perbrevis.*

Abhinc

*Abhinc, id est, ex hoc tempore, accusativo vel ablativo jungitur. & Cicero semper praeteritum tempus notat, non futurum.*

*Quam dudum obiit pater tuus: abhinc tres annos: vel, tribus annis. Annos abhinc septingentos Carolus magnus obiit. Cicero: Horum pater abhinc duos & viginti annos mortuus est. Idem: Decidit abhinc annis quindecim.*

## DE QUIBUSDAM

## IMPERSONALIBUS.

## XXV. REGULA.

Hæc quartum poscunt Impersonalia verba: *Delectat, juvat, atque decet, cum dedecet, atque Præterit, ac latet interdum, fallitque fugitque.*

*Multos delectat ludere. Paucos juvat invigilare studiis. Pueros decet esse verecundos. Cicero: Oratorem irasci non decet, simulare non dedecet.*

*Præterit, fugit, fallit me: id est, ignoro. Et usitatus prapositio negatione. Nihil horum me fallit, fugit, præterit. id est, hæc omnia novi.*

## XXVI. REGULA.

Verbum Impersonale oportet, & alia quædam verba personalia, junguntur eleganter Participiis præteriti temporis in accusativo.

*Oportet. Celatum & cum nullo communicatum oportuit.*

*Cicero: Verum hoc quod jam pridem factum oportuit, dictum non oportuit?*

*Plautus: Non attactam oportuit. Terentius: Non oportuit relictas. Mansum oportuit. In quibus infinitivus esse intelligitur.*

*Do. Hoc ego tibi effectum dabo: id est, efficiam.*

*Cupio. Est qui te conventum cupit: id est, convenire.*

*Sic expeto. Quis est qui me conventum expetit?*

*Volo. Cicero: Illud te esse admonitum volo. Terentius: Omnes vos oratos volo. Idem: Huic mandes, si quid rectè curatum velis. Sic dicimus ex Cicero, Eum honoris causa nominatum volo. volo me excusatum: rempublicam defensam: ea te cura liberatum.*

*Reddo. Id effectum reddam. id est, efficiam id. Terentius: Jam ego te commotum reddam.*

*Curo: Terentius: Ubi ubi erit, inventum tibi curabo, & mecum adductum suum Pamphilum. id est, inveniam & adducam.*

Cc 5

Huc

Huc pertinet *Missum* facere, pro *omittere*. Cicero: *Nisi iusjurandum diffuset, se patrem missum esse facturum*. Terentius: *Missi haec faciamus*.

## XXVII. REGULA.

*Ad me pertinet, attinet, & spectat, bene dices.*

Pertinet, attinet, & spectat, regunt accusativum cum *Præpositione ad*. Hoc ad rem non pertinet: id est, non facit ad rem. Vulgo inscite dicunt, *Hoc non facit ad propositum, vel non pertinet ad propositum*. Plinius: *Vergilia privatim attinent ad fructus, id est, pertinent*. Terentius: *Quod antehac fecit, nihil ad me attinet*. Ad omnes spectat bene vivere. Nec possessionem significant, sed officium: ut sit, decet omnes bene vivere.

## XXVIII. REGULA.

Compositum verbum non raro *Præposituræ* Admittit casum, vel quartum vel Latialem. Sæpe quidem docti repetunt bene *Præposituram*.

Verba composita cum *Præpositione*, sæpe recipiunt casum suæ *præpositionis*, accusativum vel ablativum.

Accusativum. *Adire Italiam, periculum, hereditatem. Præterire villam. Subire Laborem. Transire Mosam. Obsidere urbem. Multas perambulare terras. Alloqui regem, non regi. Accolere locum aliquem, fluvium, mare. Cicero: Grues cum loca calidiora petentes mare transmittunt, trianguli formam efficere.*

Ablativum. ut, *Abstinere vino, maledictis, jurgis, litibus, injuria. Abstinere se cibo. Abstinere manus pecuniis, vel à pecuniis. Suetonius: Abstinere publico. Abdicare se magistratu, tutela. Insit desistere cepto. Omni spe decidi. Ejicere (extrudere) aliquem domo. Egredi urbe, porta, domo, officio. Exire domo, patria, urbe, navi, vita. Lucanus: Exeat aula Qui vult esse pius.*

Sed hæc duo, *Exeo & Egredior*, leguntur interdum cum accusativo. Terentius: *Exire limen. Statius: Campum exire vetat.*

Tacitus: *Leges egrediuntur. Sic, Egredi aetatem puerilem.*

In multis *præpositio* repetitur. *Accedere ad patrem, ad (vel, in) ades, ad fores, in senatum, in oppidum, in suus. Adire ad aliquem, ad me, ad forum. Cum ad Prætores in jus adiffimus. Incidere in foveam. Inducere in animum. Insuere in Oceanum. Introire in forum, in urbem, in domum, in vitam. Transire ad forum. Abstinere ab injuria, à scelere, à viro. Exire ex urbe, de navi, de (vel, ex) vita, de potestate. Emergere ex humili, ex summa inopia. Excedere urbe; vel, ex urbe: vita; vel, è vita. Egredi è villa, è portu, è provincia: extra fines. Decedere è vita; vel, è vivis. Delabi ex equo, e curru, &c.*

XXIX.

## XXIX. REGULA.

*Multa, subauditam propter sibi Præposituram, Vel quartum accipiunt casum vel ritè Latinum.*

*Multa* admittunt accusativum vel ablativum propter intellectam *præpositionem*.

Accusativum. *Plorare (vel, lugere) mortem patrii. Dolere vicem, casum, mortem, injurias alicujus. Sic usitatè Cicero dixit, Lugere occasum atque interitum reipublica, fortunam reipublica, vitam hominum. Terentius: Si pater id succenseat. Idem: Id paves tu, id times. In quibus ob vel propter intelligitur. Natus est annos quindecim: id est, ante annos quindecim.*

*Tertio Idus Ianuarias: id est, tertio die ante Idus Ianuarias.*

*Virgilius: Italiam sato profugus Lavinæque venit litora. pro, in Italiam, & ad litora. Idem: Devenere locos latos: pro, ad locos. sed hoc poëticum est.*

Ablativum. *Cadere caussa. Movere senatu. Solvere legibus. Exsulare domo, urbe, patria. In quibus à vel ab subauditur.*

*Habet me loco filij: id est, in loco filij. Sic, Loco dicere.*

*Cicero: Voluptatem nullo loco numerat.*

*Terentius: Pejori res loco non potest esse, quam in quo nunc sita est.*

Sic Ablativo quidam utuntur in citandis auctoribus.

ut, *Terentius hoc scripsit Andria: id est, in Andria. Plautus id habet Amphitruone. Virgilius Bucolicis. Ovidius Fastorum primo. Quod genus loquendi frequens & familiare est Nonio Marcello: ut dictum supra ad regul. 9. cap. 2.*

DE VERBIS RECIPIENTIBUS  
ABLATIVUM.

## XXX. REGULA.

Passivis sextum dabimus cum *Præpositura* à vel ab. ut, *Laudatur ab his, culpatur ab illis.*

Verbis Passivis additur ablativus cum *Præpositione à vel ab*.

Hic ablativus fit à nominativo activi, quemadmodum rursus accusativus activorum in nominativum versatur. ut,

*Ego lego Virgilium. Virgilius legitur à me.*

*Pater castigat filium. Filius castigatur à patre.*

PASSIVA hujusmodi sunt triplicia.

1. Verba passivi generis. ut, *Ridetur ab aliquo.*

*Ovidius: A cane non magno saepe tenetur aper.*

Huc

Huc pertinent Impersonalia passivæ vocis.

Cicero: Eius orationi vehementer ab omnibus reclamatum est.  
Nihil est à me infervitum tempori.

Huc spectant quoque participia passivorum, ut, *Laudatus & laudandus ab omnibus.*

2. Verba neutro passiva: *vapulo, veneo, fio.* Quintilianus: *Fabricius respondit, à cive se spoliari malle, quam ab hoste venire. id est, vendi. Magni fieri ab omnibus. Terentius: Factum à vobis duriter. Quintilianus: Testis in eum rogatur, an ab reo sustibus vapulasset. Cicero dixit: Cum se omnium sermonibus sentiet vapulare.*

3. Verba Communia in passiva significatione, ut, *Infans osculatur à matre. Frustrari à sodale. Criminari ab inimicis. Sic Osculatus & Osculandus à matre.*

## XXXI. REGULA.

Activi & neutri generis nonnulla frequenter  
Admittunt ablativum cum Præpositura.

Verba quædam Activi & Neutri generis recipiunt etiam frequenter ablativum cum præpositione.

Hujusmodi verba sunt multiplicia: quorum pleraque (nempe activam significationem habentia) etiam accusativum admittunt præter ablativum cum præpositione.

1. Verba accipiendi & intelligendi. *accipio, recipio, quaero, habeo, eno, &c. Intelligo, cognosco, conjicio, disco, audio, ut, Audivi à (e, ex, de) patre meo. Accepi à majoribus meis. Hoc à te didici. A nobis habuit. Emi agrum à (vel, de) pupillo. Terentius: Pater esse discit ab his qui vere sciunt.*

2. Verba recedendi. *Recessit vel discessit à nobis. Descessit à suo principe. Descessit à religione. Descessit ab incepto. Nunquam discedit à latere præceptoris.*

3. Verba distandi. *Distat ab urbe quinque millia passuum. Abest à schola, à domo, ab urbe: vel abest schola, domo, urbe. Sic abesse soror, ab oculis. Plinius: Curandum est ne milites à signis absint.*

4. Verba differendi & separandi. *Item auferendi, removendi, abstinendi. Hoc ab illo differt, discordat, aîscrepat, separatur, distinguitur. Separare, segregare, distinguere ab aliis. Arcere hostem à manibus. Virgilius: Ignavam fucos pecus à præsepibus arcent. Dissentio ab illo, vel cum illo. Abstulit à me pecuniam meam.*

5. Alia multa. *Abhorret à litteris, à matrimonio. Dimicant de imperio. Rixatur de lana caprina. Bene meritis est de republica. Et Virgilius: Si bene quid de te merui. Malè mereri de aliquo. Communicavit omnem rem mecum: non, mihi.*

XXXII.

Verba volunt sexto pretium. Pones sine fixo  
In patrio, pluris, tanti, quanti, atque minoris:  
Cum fixo pones tria postrema in Latiali.

Qualibet verba recipere possunt Ablativum significantem pretium. Non solum verba quæ aperte emtionem venditionemque significant, ut, *Emerere, cœmere, redimere, mercari, comparare, vendere, revendere, divenere, venundare, venire à veneo, licere, liceri seu licitari, addicere, stare, constare, indicare, conducere, locare, valere, taxare, aestimare pro taxare, esse pro valere; sed etiam quævis alia huc spectant. Indicat librum tribus sestertius: emit duobus. Emerere librum duobus assibus. Revendere aliquid dodrante, senisse, quadrante, teruncio. Locavit mihi suam operam sestertius senis in singulos dies. Habito in singulos annos viginti Philippi aurei. Conduxit domum quinquaginta daleris. Locat ades duodecim coronatis. Cicero: Triginta millibus dixisti eum habitare. Aureus Caroleus valet sestertius vicenis, vel sestertius vicenos. Nam Valeo accusativum etiam recipit: sed ablativum usitatus. Mina valet decem coronatis. Talentum valet sexcentis coronatis. Plinius: Scrupulum valebat sestertius vicenis. Varro: Denarii, quod denos æris valebant: quinary, quod quinos. Hic liber constat drachma: duabus drachmis, vel didrachmo: Sic Tridrachmo, Tetradrachmo.*

Huc pertinent ablativi, quibus indefinitum pretium significatur: qui sæpe sine substantivis reperiuntur. cujusmodi sunt. *Vili, Parvo, Paulo, Paullulo, Mimino, Caro, Magno, permagno, Plurimo, Nimio, Dimidio, Duplo, Decuplo, & si qua sunt alia.*

*Magno vendidisti hoc prædium. Constat parvo, magno. Nimio emisisti. Miror tantas ades tam parvo inscriptas. Plautus: Quanti eam emit? vili. Lucanus: Aere merent parvo, addito substantivo. Seneca: Parvo constat fames, magno fastidium. Eme quam potes minimo. Vende quam potes plurimo. Docet magno, minus olo, aut eo pluris: certè non minoris. Magno pransi sumus, pluris cenaturi. Hic magno etiam tacet. Suetonius: Amplissima prædia minimis addixit: id est, licitantibus concessit. Nolim mihi additum dimidio. Hanc vestem mea pecunia comparavi. Nimio liceris vel licitatus hunc librum: id est, nimium offers pro hoc libro. Sic enim loquitur Terentius: Viginti minas pro ambobus dedi. Nam liceri & licitari significant pretium offerre: Licere verò, aestimari. Persius: Et centum Gracos curto centusse licetur. Plautus: Omnia licebat presenti pecunia. Cicero lib. 12. ad Atticum: De Drusi hortu quanti licuisse tu scribis, id ego quoque audieram: & ut opinor, heri ad te scripseram.*

Virtus

Virtus aestimari pecunia non potest. Emi propè dimidio carius quàm aestimabat.  
De verbis aestimandi supra fufius dictum est cap. 4. reg. 8.

Ad hunc etiam in modum in ablativo ponitur dictio qua pondus aut liquidum mensura significatur.

Plinius: Teucra recens bibitur drachmis quattuor: Et cyathis tribus, duobus. & Agaricum victoriat pondere tritum, & in mulsâ quinque cyathis datum. & Aristolochia obolis ternis ex aqua calida aut lacte asina pota.

## EXCEPTIO.

Hæc nomina Tantum & Quantum cum compositis, & Plus ac Minus, ponuntur in genitivo, si non addantur illis substantiva.

ut, Quanti constat iste pannus? Quanti licet hic liber? id est, quanti indicatur. Ego pænere tanti non emo. Pluris quàm par est indicasti: Minoris mihi comparabo. Ne id minoris vendas quàm ego emi. Juvenalis: Magis illa juvant quàm pluris emuntur. Demosthenes olim pluris filius, quàm alij loquerentur. Nam sex millibus nummum unius diei silentium vendidisse dicitur.

Cur dixisti, si non addantur illis Substantiva? Cum addantur illis substantiva, utendum est ablativo.

Alibi minori pretio non comparabis. Quanto pretio (vel, quanta pecunia) hunc librum indicas? Cicero: Te tanta mercede nihil sapere docuit: Juvenalis: Quanto meritis pretio? Terentius: Quàm minimo pretio voluptatem suam expleant.

## XXXIII. REGULA.

Copia, egestatisque, & eis affinia verba, Accipiunt sextum, quædam quandoque secundum.

Verba, copia, inopia, & eis affinia, recipiunt ablativum.

Copia. Abundat opibus. Affluit divitiis. Exuberat auro. Cicero: Abundare præceptis institutisque philosophia. Scætet metallis.

Inopia. Egere nummis. Indigent pecunia. Eget medicina. Ovidius: Morte carent anime. Cicero: Vacare culpa magnum est solatium.

Affinia: qualia sunt verba implendi, onerandi, liberandi, & his contraria: præterea multa verba privandi, quæ omnia ablativum præter accusativum sibi adfiscunt. Virgilius: Implevitque mero pateram. Terentius: Atque animum ejus expleam gaudio. Satiavit vel exsaturavit hominem fabulis.

Ingurgitavit se cibo. Obruit se vino. Cicero: Ingurgitare se in flagitia: id est, immergere. Levabo te hoc onere. Oneravit me injuriis, præceptis.

Exhausta bonis civitates. Imbue liberos tuos optimis disciplinis. Te omni metu exonerabo.

exonerabo. Exoneravit crumenam nummis. Terentius: Emunxi argento senem. Spoliarunt, nudarunt, exuerunt eum omnibus bonis. Fraudare aliquem suo jure, Frustrare quempiam sua spe. Liberavit me omni metu, cura, sollicitudine, laboribus. Virgilius: Ego hoc te fasce levabo. Liberavit me à calumniis hominum sceleratorum. Plinius: Febri quartana liberatus.

## APPENDIX.

Ego & Indigeo indifferenter recipiunt genitivum vel ablativum.

Horatius: Eget aris Cappadocum rex. Idem: Non eget Mauri jaculis nec arcu. Terentius: Quasi tu hujus indigeas patris. Cicero: Nunc te cobortatione non puto indigere.

## XXXIII. REGULA.

Instrumenta, modum, & causam, in sexto asserere verbis.

Cuius verbo adjungi potest ablativus significans instrumentum, causam, vel actionis modum.

Instrumentum. Petiit me saxo. Cecidit me virgis, loris, pugnis. Ferit pede. Protrusit cubito. Præcidit illi caput gladio. Rem acu tetigisti. Clavum clavo pelle. Horatius: Naturam expellas furca, tamen usque recurret.

Causam propter quam aliquid fit. Rubescit pudore. Pallet studio, amore. Incaluit vino. Horret frigore. Contabescit inedia. Decipimur specie rekti. Letor alienis commodis. Invidus alterius rebus macrescit opimis.

Huc pertinent, Factum est meo jussu, hortatu, impulsu, permissu, consensu: tuo injussu.

Modum quo aliquid fit. Arte, non dolo vici te. Joco dixi, non serid. Ferant a quo animo. Loqui clara voce, exili, gravi. Explicabo brevi. Agamus crassius & pingui Minerva. Ovidius: Flectitur iratus voce rogante Deus. Ulciscat injuriam oblivione. Proficiscere bonis avibus.

## OBSERVATIO.

Instrumento non potest addi præpositio cum. Itaque ineptè dixeris, Scribo cum calamo.

Causæ ablativo additur interdum præpositio præ.

Tacere pudore; vel, præ pudore. Contabescere præ inedia.

Cicero: Præ amore loqui non possum. Nam præ causam interdum notat.

Ablativum instrumenti & Causæ efficiens, Grammatici vocant interdum septimum casum.

Actionis modus Præpositionem Cum interdum desiderat.

Exceptis



Excepit nos summa cum laetitia: id est, hilari & laeto vultu. Magna cum modestia loquitur. Modum actionis cognoscimus ex interrogatione *Quomodo. ut, Quomodo tulit injuriam? Aequo animo, iniquo animo. Dicit clara voce, suppressa, submissa.*

## XXXV. REGULA.

## Materiam circa quam, casuposito sexto.

Verbum interdum admittit ablativum materiae circa quam, vel qua aliquid fit.

Poeta lauro coronantur. Sternere viam saxis, lectulos pellibus. Spargere humum floribus. Lucanus: Fraternali maduerunt sanguine iuri. Persequitur nos bello, armis, odio. Pasce equum feno. Et passive: Equus feno pascitur. Pascor vero deponens accusativum exigit. ut, Equus pascitur graminibus. Virgilius: Coluber mala gramina pastus.

## APPENDIX I.

Victito, vivo, supersedeo, sto, consto, laboro, glorior, oblector, tristior, letorque, pluitque, Et nitor, possum, valeo, poscunt sibi sextum.

Victitare herbis, olusculis, lacte, caseo. Vivit locustis: id est, victitat, alitur. Supersedeo labore: id est, abstineo. Sto tua opinione: id est, tua opinioni assentior & obtempero. Medicina constat experimentis. Laboro podagra, morbo, frigore. Tuis commodis oblector, letor, glorior. Tristior infelicis tuo casu. Pluit lapidibus. Nitor sua audacia. Ingenio parum possum. Valet viribus, velocitate, prudentia.

## APPENDIX II.

Deposcent ablativum vescor, fruor, vtor, Et potior, dignor, fungor: compositaque ab illis.

Vescitur carnibus, piscibus, caseo, lacte. Frui orio, colloquio, praesentia alicujus. Praesentibus fruitur sapiens. Seneca: Aetate fruire, mobili cursu fugit. Terentius: Scisti uti foro. Ovidius: Utendum est aetate: cito pede labitur aetas. Differunt autem fruor & vtor: Vivimus utilibus, fruimur delectabilibus. Potiri victoria, voto, provincia. Cicero: Potietur regno quisquis bene vixerit. Dignor te laude: id est, dignum iudico. Virgilius: Haud equidem tali me dignor honore. Deditur me alloquio. Fungi consulari, munere, officio. Desungi munere, labore, molestiis, periculis, vita, fato.

His,

His, Vescor, Fungor, Potior, Fruor, Utor, abutor, Interdum quartum veteres junxisse notabis. At Potior rectè sextum regit aut genitivum.

Plinius: Ova vescentes earum. Terentius: Illorum officia fungere. Plautus: Hanc frui rem. Terentius: Mita bona autantur. Idem: Nam in prologo scribunda operam abutitur. Potior tribus casibus junctum reperitur, ablativo, genitivo, & interdum accusativo: significatque tenere, obtinere, capere, vincere, & interdum frui. Cicero: Ut qui bello potiti sunt. Caesar: Partim viri potiti sunt. Sic, Provincia potitus est: id est, cepit provinciam. Potiri regni, civitatis, hostium. Caesar: Hostium virorum potiti sunt: id est, viros hostes ceperunt. Idem: Potiri totius Galliae. Cicero: Et in nostra civitate, & in ceteris, que rerum potite sunt. Sallustius: Potiri signorum & armorum. Terentius: Patria potitur commoda. Idem: Potitur gaudio: id est, fruitur gaudium. Livius: Potiri Capuam. Gellius: Potiri mortem. Sic oppidum potiri: id est, capere.

Sed usitatius habet ablativum: ut Potiri voluptatibus, aut genitivum: ut Potiri rerum: id est, vincere, seu tenere rerum imperium, auctore Valla.

## XXXVI. REGULA.

Materies ex qua, sexto casu solet edi,

subintellectis.

Præpositis ex; è, de, rarò dissimulatis.

Materia ex qua res conficitur, apponitur verbis in ablativo, accedente ferè præpositione, DE, E, EX.

Cudit ex ferro gladium. Facit ex auro calicem. Hoc opus ex marmore factum est. Plautus: Ex ferro fabrefactum est. Cicero: Veneta nave facta sunt ex robore. Non ex omni ligno fit Mercurius. Homo factus est de limo terra.

Omittitur interdum Præpositio, sed ferè apud poetas.

Livius: Capitolium quoque saxo quadrato substructum est. Virgilius: Viminibus mollique paras detexere junco. Idem: Cavat arbore lintres. Et apud eundem sapius.

## XXXVII. REGULA.

Excessus speciem sexto casu moderare.

Verba excessus recipiunt ablativum significantem excessus quantitatem vel modum aliquem.

Multo illum superat. Multis & infinitis partibus vincit. Multis parasanguis me praecurrit. Excedit omnes viribus, ingenio, eloquentia. Praestat omnibus (vel, omnes) eruditione, dignitate, auctoritate. Homo ratione bestis praestat. Antecire, antecedere, antecellere ceteris (vel, ceteros) doctrina. Eloquentia omnibus antecellit Cicero.

Dd

XXXVIII.

## Invenias ablativos rectore carentes.

Duo vel plures ablativi ponuntur interdum absolute: hoc est, ut à nullo dependant aut regantur.

Horum ablativorum unus ferè Participium est, & interdum Nomen. ut, *Absolute prandio deambulabimus. Saturno rege aurea suere secula. Cicerone Consule Catilina oppressus est, & Roma à conjuratione liberata. Actore non probante reus absolvitur.*

Exponuntur ferè hujusmodi ablativi per particulas tempus significantes: quales sunt, *cum, dum, quando, quoad, postquam, &c.* *Augusto regnante natus est CHRISTUS, Tiberio imperante crucifixus: id est, cum (vel, quando) Augustus regnabat, cum Tiberius imperabat.*

Debet autem hic ablativus Participij per e potius quam per i scribi, ut dictum est in Etymologia.

## ANNOTATIONUM appendices generales.

## I. Simplex sæpe sui casum fert Compositivi.

Verba simplicia ponuntur aliquando pro suis Compositis, & tunc eorum Syntaxin sequuntur.

*Ridet hominem: pro, deridet. Ludū me: pro, illudis, deludis. Nititur sui viribus: pro, innititur. Habitant domos contiguas: pro, inhabitant. Fles philomela nefas: pro, deflet. In hi enim est Enallage (id est, mutatio) figure.*

## 2. Circuitus post se casum verbi trahit ejus Quod circumloquimur. Verum hæc sunt Comica fermè.

Periphrasis regit plerumque casum ejus quod circumloquimur. *Ejus mihi venit in mentem: id est, recorder ejus. Id non sum nescius: id est, id non ignoro. Terentius: Id mihi anus indicium fecit: id est, id indicavit mihi. Plautus: Quid istam tibi castro est? id est, cur tanquam istam? Idem: Quid tibi hanc notio est? pro, nosti. — Sed hæc Comica sunt & antiquata.*

## CAPUT

## CAPUT QUINTUM.

## DE PARTICIPIORUM, SUPINORUM, ET GERUNDIORUM SYNTAXI.

## PRIMA REGULA.

## Participansque, Gerundiæque, atque priora Supina, Casum adhibent Verbi, modo significatio par sit.

Participia, priora Supina, & Gerundia, admittunt à tergo casum suorum Verborum ejusdem significationis.

Participia. *ut, Bibens jejunos. Misertus tui. Serviens tempori. Amans Deum. Viens vino. Audio, audiens, auditurus doctorem tres horas (vel, tribus horis) nocte, summa diligentia. Auditus à me doctor, & sapius audiendus est. Diligendus omnibus; vel, ab omnibus.*

Sed non dicitur Diligendus omnes: quia Participium hic non regeret casum verbi ejusdem significationis.

Priora Supina. *Eo auditum doctorem. It servitum Regi. Vado emtum pisces. Venio repetitum libros meos.*

Gerundia. *Causa audiendi doctorem. Ad serviendum Regi. Emendo pisces. Parcendum est supplicibus. Ovidius: Utendum est atate.*

Casum nulla Supina, Gerundia nulla sequuntur.

Nec Gerundia nec Supina ullum ante se casum recipiunt: sed post se regunt casum Verbi activæ significationis. Nam sicut dicimus. *Lego historiam: ita Venio lectum historiam, & causa legendi historiam.*

## DE SUPINIS IN UM.

## II. REGULA.

## Verbis quæ motum signant, prius adde Supinum.

Priora Supina adjunguntur verbis motus ad locum, & activè ferè significant.

*Ire pransum, cenatum, cubitum. Terentius: Abi deambulatum. Ovidius: Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsa.*

Et cum casu verbi: *Ire spectatum ludos. Terentius: Cur te à perditum? Cicero: Admonitum venimus te, non flagitatum. Livius: Venerunt questum injuria, & restepetuum, Virgilius: Sentatum oracula Phœbi Mittimus.*

Dd 2

Porro

Porro hæc, Dicitum est, Itum est, Actum est, Conclamatum est, Cef-  
fatum est fatis, Præterita perfecta sunt verborum impersonalium Dicitur,  
Itur, Agitur, Conclamatur, Cessatur.

## DE SUPINIS IN U.

## III. REGULA.

Posteriora Supina sibi Adjectiva cooptant.

Posteriora Supina adjectivis quibusdam adherent, & ferè passivè  
significant.

Turpe relatu. Proclive factu. Facile inventu. Jucundum auditu; & ad au-  
diendum. Mirabile visu. Difficile creditu: id est, ut credatur. Cicero: Optimum  
factu. Idem: O rem tum auditu crudelem, tum visu nefariam. Juvenalis: Nil  
dictu sædum visuque hæc limina tangat, Intra qua puer est.

## DE GERUNDIIS IN DI.

## III. REGULA.

In DI quando cadunt, appone Gerundia fixis  
Aut adjectivis. [ut, Tempus erat redeundi.

Ignarus medicandi: bellandique peritus.]

Gerundiis in DI præponuntur nunc quædam Substantiva, nunc  
quædam Adjectiva.

Substantiva. ut, Tempus, locus, studium, voluntas, amor, copia, facultas,  
licentia, libertas, illecebra, ars, initium, aliæque multa.  
Tempus cenandi. Spatium cogitandi. Copia hominem conveniendi. Querit an-  
sam elabendi. Faciam tibi copiam inspiciendi librum. Cicero: Magna est illece-  
bra peccandi, impunitatis spes. Optima vivendi ratio est eligenda: eam dulcis-  
simam reddet consuetudo.

Adjectiva. Cupidus tui visendi, redeundi domum. Gnarus bellandi. Peritus  
medicandi. Navigandi timidus, insuetus, imperitus.

## DE GERUNDIIS IN DO.

## V. REGULA.

In DO præcedunt in, ab, ex, cum, de, similisque.

Gerundiis in DO præponuntur sæpe hujusmodi Præpositiones, A  
vel Ab, De, In: aliquando E vel Ex, Cum, Pro.

A Cicero:

A. Cicero: A discendoque deterrent. Idem: Cæsar sanos homines à scriben-  
do deterruit.

Ab. Cicero: Ab invidendo invidentia rectè dici potest. Idem: Amor ab aman-  
do dictus est.

De. Ovidius: De bene vivendo jam questio nulla movetur. De aptè dicendo.  
De magistratu eligendo. Cicero: Qua de nihil sentiendo paullo ante dicta sunt.

In. In tribuendo suum cuique versatur justitia. Publius: In judicando crimi-  
nosa est celeritas.

Ex. Ex defendendo major gloria quam ex accusando paratur.

Cum. Quintilianus: Nam & scribendi ratio conjuncta cum loquendo est.

Pro. Plautus: Pro vapulando hercle ego abs te mercedem petam.

Cum casu verbi. Livius: In alloquendo victorem.

## APPENDIX.

Gerundia in DO ponuntur interdum transitivè, cum casu verbi sui:  
interdum absolutè, ut à nullo videantur dependere.

Cum casu verbi. Homines nihil agendo malè agere discunt. Terentius: Vera  
dicendo ambos fallam. Quintilianus: Copiam cum judicio consequemur optima  
legendo atque audiendo.

Sed hîc scriptores eloquentes gerundiis adjectivis utuntur fre-  
quentiùs. Cicero: Orationem autem Latinam efficies profectò legendis nostris  
pleniorem.

Absolutè. Scribendo disces scribere. Fabricando fabri sunt.

Gerundia in DO ferè activè significant: ut, Hos occidendo, illos accu-  
sando, totam civitatem labefactasti.

Interdum tamen passivè. Virgilius: - Uritque videndo Femina. id est, dum  
videtur. Idem: Superanda omnis fortuna ferendo est. Quintilianus: Sed me-  
moria excolendo, sicut omnia, augetur. id est, dum excolitur. Terentius: Ille ver-  
berando, ego vapulando usque ambo defessi sumus: id est, dum ille verberat, dum  
ego verberor seu vapulo.

## DE GERUNDIIS IN DUM.

## VI. REGULA.

In DUM quod finit, gaudet præponere ad, inter:  
Rariùs ante vel ob vel circa jungitur illi.

Gerundiis in DUM præponuntur quædam Præpositiones accusati-  
vum requirentes, sæpe ad vel inter: rariùs circa, ob, vel ante.

Ad. Ordo ad docendum res est efficacissima. Cicero: Neque res ulla que ad  
placandum Deos pertineret, prætermissa est.

D d 3

Inter.

Inter. *Inter eundum. Inter agendum. Cicero dicit inter cenam: non inter cenandum.*

Circa. *Quintilianus: Sed plus eloquentia circa movendum valet.*

Ob. *Cicero: Pecuniam ob absolvendum acceperis.*

Ante. *Virgilius: Ante domandum Ingentes tollunt animos. Sed hoc singulare est & poeticum.*

Cum casu verbi. *Cicero: Ad placandum Deos.*

APPENDIX.

Finitis in DUM, *fuit, est, erit*, adjiciatur, Quando necesse notant: ferme comitante dativo.

Gerundia in DUM, accedente verbo substantivo, postulant dativum omnibus verbis communem: & hoc modo necessitatem significant, aut partes officiumque.

*Abeundum est mihi: id est, mihi necesse est abire.*

*Gaudendum est illis. Vigilandum est ei qui cupit vincere.*

Et præter casum communem, etiam casum suorum verborum admittunt. *Obliviscendum est tibi injuria accepta. Serviendum est nobis Deo.*

*Respondendum est mihi adversario. Carendum est tibi libro.*

*Priscum est quod dixit Virgilius: Pacem Troiano ab rege petendum. Pro quo Pax est petenda usitatius dixeris.*

APPENDIX AD REGULAM IIII, V, & VI.

Differentia Gerundiorum & Participialium in DUS, quæ vulgus cum Servio vocat NOMINA GERUNDIVA.

Gerundia regunt casus verborum suorum, & carent plurali. *ut, Faciam tibi copiam legendi epistolam. Legendo libros paratur eruditio. Venio ad accipiendum pecuniam.*

Participialia sex habent casus, & tria genera in utroque numero: ac conveniunt cum substantivis in genere, numero, & casu. *ut, Faciam tibi copiam legendæ epistolæ. Legendis libris paratur eruditio. Venio ad accipiendam pecuniam. Mater est visenda. Pater est exorandus. Avatus congerendæ pecuniæ studet. Prodigis absumentis opibus indulget.*

Diligenter observandum est, Gerundia sæpe & eleganter in nomina Participialia permutari, eaque usitatiora & elegantiora esse quam sint Gerundia.

Gerundium.   
Causa { terrendi te.   
 visendi matrem.   
 salutandi parentes.

Participiale.   
Causa { terrendi tui.   
 visende matris.   
 salutandorum parentum.

In his

*Inhiat congerendo pecuniam   
 In referendo gratiam.   
 Legendo libros doctus evades.   
 Petendum est pacem.   
 Ad defendendum Galliam.*

*Inhiat congerendis pecuniis   
 In referenda gratia.   
 Legendis libris doctus evades.   
 Petenda est pax.   
 Ad defendendam Galliam.*

CAPUT SEXTUM.   
 DE ADVERBIORUM SYNTAXI.

PRIMA REGULA.

Adverbia junguntur Verbis, Participiis, Nominibus, & interdum aliis Adverbiis.

Verbo. *Bene dormit qui non sentit quam malè dormiat. Parum perpendit. Festina lentè. Malè audit: id est, vituperatur. Bene audit: id est, laudatur.*

Participio. *Malè partum malè dilabitur. Temerè judicans.*

Nomini. *Admodum puer. Vix vir. Egregiè impudens.*

Adverbio. *Sat citò, si sat bene. Parum feliciter. Bene manè. Valde bene.*

DE ADVERBIIS CUM

NOMINATIVO.

II. REGULA.

En, Ecce, admittunt primum, quartumque subinde.

En & ecce recipiunt nominativum vel accusativum.

Nominativum. *Cicero: En crimen, en causam. Idem: Ecce autem Antonius. Virgilius: En dextra fidesque. & En Priamus.*

Accusativum. *Terentius: Ecce autem alterum.*

*Virgilius: En quattuor aras. Cicero: Ecce miserum hominem, si dolor sum: num malum est.*

En indignationem vel exprobrationem significans, jungitur sæpe accusativo apud poetas: apud oratores nominativo. *Seneca: En Paridis hostem. En agros. Juvenalis: En animum & mentem cum qua Dii nocte loquuntur.*

Recipiunt interdum dativum Tibi, non sine lepore. *Plautus: En tibi hominem. Cicero: Ecce tibi nuntius. Ecce tibi & Bruti & tua littera.*

Ponuntur aliquando sine casu. *Cicero: En, hic ille est. Ovidius: Ecce Corinna venit. Terentius: En unquam cuiquam contumeliosius audistis factam injuriam quam hæc est mihi? Virgilius: En quò discordia cives Perduxit mistros. Virumque repentinum quiddam significat & insperatum.*

D 4

DE

GRAMMAT. DESPAUTER.  
DE ADVERBIIS CUM  
GENITIVO.

## III. REGULA.

Temporis, atque loci, quantique adverbium quædam,  
Admittunt patrium. Sic, Venimus illius ergo.

Adverbium quædam loci, Temporis, & Quantitatis, junguntur sæpe  
genitivis.

Loci. ut, Ubique locorum. Quocunque terrarum. Nusquam gentium.

Perfius: Hucine rerum Venimus? Cicero: Ubi terrarum sumus? Idem: Longè  
gentium.

In quibus apponuntur genitivi terrarum, gentium, & locorum, ornatus gratia,  
per Pleonasmum quidem, sed usitatum.

Item Eò loci ivimus, Eò discordiæ ventum est, Eò temeritatis pro-  
cesserunt, elegantes sunt loquendi formula, Atticismum redolentes.

Temporis. Tunc temporis, Interea temporis, Interea loci.  
Cicero: Quo ad ejus facere poteris.

Pridie & Postridie admittunt genitivum, & interdum accusativum.

Pridie vel Postridie ejus diei. Cicero: Postridie absolutionis. Postridie ludos Apol-  
linares. Pridie vel Postridie Kalendas, Nonas, Idus. ubi ante vel post intel-  
ligi volunt.

Pridie & Postridie ponuntur interdum sine casu. Plautus: Pridie caveat ne  
faciat, quod se pigeat postridie. Cicero: Postridie intellexi. Sic, Pridie vel Postri-  
die quam discederes.

Quantitatis. Satis temporis. Satis verborum. Sat signi est. Cicero: Ad di-  
cendum temporis satis. Plautus: Sat habet fautorum semper qui rectè facit.

Suetonius: Se jam pridem potentia gloriæ que abundè adeptum. Virgilius: Fraudis  
abundè. Livius: Affatim lignorum. Partim virorum occisi sunt: id est, quidam.

Cicero: Eorum partim in pompa, partim in acie illustres fuerunt.

Ergo pro causa constructur cum genitivo.

Virgilius: - Illius ergo Venimus. - Sisenna: Milites, ut lex Calphurnia concessit,  
erat, virtutis ergo civitate donati.

In loci Adverbium observande sunt quattuor locorum differentiæ, In loco, Ad locum, [ &  
Versus locum: ] E loco, Per locum: quibus totidem respondent interrogativa, Ubi? Quo?  
[ & Quorsum? ] Unde? Qua? que ex Rudimentis repetenda sunt. Ex quibus & illud ma-  
nifestum est, quædam variam habere significationem. Nam Intro & Foras significant ad locum.  
ut, Abi intro, Exi foras.

Intus & Foris significant in loco & è loco. ut, Est intus vel foris, Redit intus vel foris.

Suprà & Infra significant in loco: Supernè & Infernè, è loco.

Ulsquam & Nusquam, in loco & ad locum. ut, Nusquam apparet. Nusquam abeo.

Peregre significat in loco, ad locum, & de loco. ut, Peregre vivit, abiit, rediit.

DE

LIBER TERTIUS.  
DE ADVERBIIS CUM  
DATIVO.

## III. REGULA.

Ex Adjectivis quæ jure petunt sibi ternum,  
Derivata, leges constructa Adverbium terno.

Adverbium quædam admittunt Dativum nominis Adjectivi unde de-  
ducta sunt.

ut, Ire, prodire, procedere, currere, esse, fieri alicui obviam. ab adjectivo obvius.  
Canit similiter huic. Fecit sibi inutiliter. Cicero: Convenienter natura congruen-  
terque vivere. Horatius: Vivere natura si convenienter oportet. Nam obvius si-  
milis, inutilis, conveniens, congruens, dativo gaudent. Propinquius tibi sedet  
quam mihi. Stabat proximius illi.

DE ADVERBIIS CUM  
ACCUSATIVO.

## V. REGULA.

Ut Propius, sic Proximè amat sibi jungere quartum.

Propius & Proximè usitatè recipiunt accusativum Propo-  
sitionis Prope.

Livius: Castra propius hostem movit. Cicero: Cur medio castra itinere longius  
adversariorum castris & propius urbem moventur. Idem: Operam dat ut cum  
suis copiis quam proximè It aliam sit. Sallustius: Proximè Hispaniam Mauri sunt.  
Verùm propior & proximus nomina, dativo junguntur.

DE ADVERBIIS CUM  
VOCATIVO.

## VI. REGULA.

O poscit quintum, velut Heus. ô perfide: & heus tu.

Vocandi adverbium adduntur rectè vocativis.

Virgilius: O Melibæe, Deus nobis hac otia fecit. Terentius: Heus puer, dic sodes.

DE ADVERBIIS CUM

## ABLATIVO.

## VII. REGULA.

Hæc Adverbium, Aliter, Secus, post, & Antè, postpo-  
nuntur sæpe quibusdam ablativis.

Dd 5

Paullo

*Paullo aliter. Multo secus. Paucis antè diebus. Multo pòst tempore venit.*

## APPENDIX.

**Adverbia. Comparativi & Superlativi gradus retinent Syntaxin nominum unde derivantur.**

**Comparativi.** Cicerone eloquentius scribit nemo. Annum aut eo plus tecum commoratus sum. Terentius: Triginta dies aut plus eo, in navi sui. Diutius anno in provincia sui. Minus tribus horis.

**Superlativi.** Caesar omnium ferè oratorum Latine loquitur elegantissime, auctore Cicerone. Plinius: Lynces clarissime omnium quadrupedum cernunt.

CAPUT SEPTIMUM.  
DE SYNTAXI  
CONIUNCTIONUM.

Consimiles optat casus Coniunctio habere,  
Consimilisque modos: si non regimen varietur.

Coniunctiones Copulativæ, Disiunctivæ, & quædam aliæ, copulant ferè similes casus & modos.

**Copulativæ.** Virgilius: Vir bonus & sapiens. Ovidius: Perfer & obdura. Neque mei parentes neque tui.

**Disiunctivæ.** Aut Deo aut mundo serviendum. Aut aias aut neget.

**Aliæ quædam.** Fortior Scipio quam Hannibal. Faveo tibi tanquam fratri. Amandus pater licet difficilis. Hic nulli placet praterquam sibi. Neminem audit nisi patrem.

## EXCEPTIO.

Coniunctio potest copulare casus dissimiles, cum utimur dictione aliqua quæ necessariò diversos casus requirit.

*Liber tuus & fratris. Interest tua & Ciceronis. Aut Brunisij aut Sulmone mortuus est. Emi aureo, & pluris. Fui Romæ & Venetiis. Malim Lovany quam Parisiis esse.*

CAPUT OCTAVUM.  
DE PRÆPOSITIONUM  
SYNTAXI.

Vult ad cum fociis quartum præcedere casum.  
A vel ab & focia sextum sibi jungere gaudent.  
Clam tamen interdum veteres quarto fociarunt.

Sæpe

Sæpe *tenus* patrium numero præcunte carentem.

Aut res signantem geminas, à fronte capeffit.

Quattuor hæc, *in, sub, super, & subter*, modò quartum,  
Et modò habent sextum: vario sed significatu.

Præpositiones sunt una & quinquaginta. Quarum quædam accusativo, quædam ablativo, quædam utriusque casui serviunt.

Una & triginta requirunt accusativum, *Ad, apud, ante, &c.*

Sextdecim exigunt ablativum: *A, ab, abs, cum, coram, &c.*

*Clam* invenitur etiam aliquando regere accusativum, præsertim apud veteres.

*Tenus* regit sæpe genitivum pluralem res geminas significantem, aut singulari numero carentem: *ut, Lumborum tenus, Cumarum tenus*. aliàs regit ablativum. & contra naturam Præpositionis semper suo casui postponitur.

Quattuor recipiunt accusativum & ablativum: *In, sub, super, & subter*: sed diversa ferè significatione.

## In.

In recipit accusativum

1. Cum motus ad locum vel ad rem significatur. Rediit in Flandriam. Cogitat in Italiam, Galliam, Hispaniam.
2. Cum mutationem significat. Vertit Homerum in linguam Latinam. Mutatus est in bestiam. In Deos reponere: pro, inter deos.
3. Cum tempus futurum respicit. In cenam, In crastinum, In posterum. Terentius: In diem hunc sunt constitutæ nuptiæ.
4. Pro erga. Amor in patriam. Officium (studium) in te meum. Optimo in me animo.
5. Pro contra. In omnes maledicus. Animadvertere in flagitiosos. Orationes Ciceronis in Verrem.

6. Pro ad. In hoc natus sum. In hoc incumbite. Dare in sumtum. Commoda mihi codicem istum in hoc biduum: vel, in duos dies. In biduum me valere iussit. Cicero: In presens, in posterum. Hoc est in rem tuam; vel, ex re tua: pro, hoc est tibi utile.

Et cum significat pro. Cicero: Pretor in remiges pecuniam imperavit: id est, pro remigibus.

7. Pro apud vel ante. Terentius: Vereor te in os laudare: id est, ante os sive coram. Cicero: Probari in vulgus: id est, apud vulgus, sive in vulgo.

8. Pro super. Terentius: In utramvè dormire aurem. quod Plautus dicit, In utramvè oculum conquirere. Iluc pertinet cum dicimus, Scivius in Aeneida. Sed, Virgilius in Aeneide. quod diligenter observandum est.

Dicimus quoque In diem vivere: pro, sine cura crastini. Et In dies, id est, quotidie, sed cum incremento. In dies singulos magis magisque. Sic ferè distinguunt vivere in horam, & in horas.

In jungitur ablativo

1. Cum quietis vel actus in loco significatur. Sedet in conclavi. In eadem sumus navi. Ambulat in foro.
2. Cum pro inter capitur. Id mihi est in deliciis: vel, id habeo in deliciis. Sallustius: In amicum habere. Esse in bonis.

In

In alicui eodem sensu vel accusativum vel ablativum recipit. Incidere in es, & in are, apud Ciceronem. Includere in carcerem, & in carcere, apud eundem. Idem: Proponere in publicum, & in publico.

Sub.

Sub requirit accusativum.

1. Cum motus significatur. Concedere sub tectum. Properare sub umbram. Cadere sub aspectum nostrum, sub intelligentiam, sub tactum, &c. Virgilius: Postisque sub ipsos Nituntur gradibus. Cicero: Negotium transgessit, nisi se sub scias tabernæ coniecisset. Omnia sub acumen suis subeant necesse est.
2. Cum pro Per accipitur. Virgilius: Visa sub obscurum noctem. Idem: Sub noctem cura recurvat.
3. Cum pro Circa seu circiter ponitur, sive pro paullo ante. Sub cenam, id est, circa cenam, vel paullo a. cenam. Sed sub cena, id est, inter cenandum: quod Cicero inter cenam maluit dicere. Livius: Sub idem tempus. Sub lucem apertis portis urbem ingrediuntur. Cicero: Sub vesperum. Sub noctem. Sub dies festos. Idem: Sub eas statim recitate sunt tue: id est, post eas.

Sub ablativum recipit, cum in loco significat. Sub terra habitantes homines. Sedere sub umbra. Jacere sub mensa. Dormire sub dio. Horatius: sub Jove frigido, sub arbore. Caesar: Sub oculis: id est, ante oculos. Terentius: Sub urbe est agelli paululum. Cicero tamen dixit, Vaporarium, ex quo ignis erumpit, est sub tectum cubiculi.

Super.

Super regit accusativum.

1. Cum præpositioni subter contraria est: maxime cum motum significat, ut, tegula cecidit super caput. & cum situm in loco significat. Sedeo super sedem, super saxum. Cicero: Super tumulum noluit aliquid statui. Apud Poetas tamen cum Ablativo legitur: maxime cum verbo quietis. Virgilius: Hic tamen hac mecum poteris requiescere nocte Fronde super viridi.
2. Cum accipitur pro ultra. Virgilius: Super & Carantana & Indos Proferet imperium. Idem: Fama super æthera notus.
3. Cum accipitur pro præter, ut, Super hac omnia. Suetonius: Super cetera flagitiis: id est, præter.
4. Cum significat inter, ut, Super cenam occisus est: hoc est, inter cenam, ut Cicero loqui solet. Super pro de regit ablativum. Cicero: Hac super re scribam ad te Rhegio. Virgilius: Multa super Priamo rogatus, super Heclore multa.

Subter.

Subter admittit ferè accusativum, sive quietis sive motus verbis adjungatur. Subter aquas. Subter terram. Subter mœnia. Virgilius: Occultas egisse vias subter mare. Cicero: Plato iram in pectore, cupiditatem subter præcordia locavit. Interdum, apud Poetas poetissimum, ablativum habet. Virgilius: Cum tamen omnes ferre libet subter densa recludone casus.

## APPENDIX.

Sint sine casu Præposituræ, Adverbia fient.

Præpositiones sine casu positæ, fiunt Adverbia. ut, Procul hinc abest Roma. De his infra dicemus. Pauca suprâ repetam.

Te non

Te non secus ac fratrem diligo. Illum huc coram adducam. Clam hinc aufugies aliquo. I præ, apud Comicos, pro præi. Cave ne hoc palam fiat. Plura exempla suppeditabunt sequentes Annotationes.

CAPUT NONUM.  
DE SYNTAXI INTERJECTIONUM.

HEM.

Hem ternum regit & quartum, regit & vocitantem.

Hem recipit dativum, accusativum, & vocativum.

Dativum. Hem tibi.

Accusativum. Terentius: Hem Davum tibi. Hem astutias.

Appuleius: Hem hominis audaciam.

Vocativum. Hem Pamphile. Hem mea lux. Terentius: Hem puer.

O &amp; PRO.

O & præ gaudent primo, quarto, & vocitante.

O & præ regunt nominativum, accusativum, & vocativum.

Nominativum. O dies festus. Terentius: Præ Dij immortales.

Accusativum. O me infelicem. Cicero: O variam volucremque fortunam.

Pro Deum atque hominum fidem.

Vocativum. O Dave, it an' contemnor abs te? O domus antiqua.

O Jupiter. Cicero: Præ sancte Jupiter. Præ Jupiter supreme.

Præ cum significat implorationem, accusativo jungitur: cum invocationem vel admirationem, vocativo.

HEU.

Heu recipit quintum, quartum, & quandoque dativum.

Heu gaudet vocativo & accusativo.

Vocativo. Virgilius: Heu pietas, heu prisca fides.

Accusativo. Cicero: Heu me miserum.

Eheu etiam accusativo jungitur.

Cicero: Eheu conditionem hujus temporis. Terentius: Eheu me miserum.

Heu Plautus interdum dativo jungit: Heu misero mihi.

A H.

Ab accusandi casum quintumve capessit.

Ab modò accusativum, modò vocativum recipit.

Accusa-

Accusativum. Terentius: *Ab me miserum.*

Vocativum. Virgilius: *Ab Corydon, Corydon.*

## HEI &amp; VÆ.

Hei & Væ casum donandi semper adoptant.

Terentius: *Hei misero mihi. Idem: Væ capitulo. Idem: Væ misero mihi.*

Martialis: *Carpere caustidicus fertur mea carmina: quis sit.*

*Nescio, si sciero, væ tibi caustidice.*

Ponitur & sine casu. Virgilius: *Mantua væ misera nimum vicina Cremona.*

Hei etiam reperitur vocativo junctum. Terentius: *Hei misera.* Plautus: *Hei Megadore.*

## V AH &amp; O HE.

Vah & Ohe tantum poscunt casum vocitantem.

Terentius: *Vah consilium callidum.* Plautus: *Vah homo impudens.* Martialis: *Ohe jam satis est, obe libelle.*

CAPUT DECIMUM.  
DE SYNTAXI FIGURATA,  
seu DE FIGURIS SYNTAXEOS.

Hactenus de perfecta seu analogâ partium orationis structura. Reliquum est ut de figurata seu anomala Syntaxi agamus.

Figura Syntaxeos est apprens quidam solœcismus, auctorum usu approbatus & ratione excusabilis.

Nam locutiones hujusmodi figurata solœcismi speciem quandam ita præ se ferunt, ut ea sublitera figurata esse desinant.

Hujus figurata syntaxeos nonnulli multas fecere species: ex quibus illas octo tantum explicabimus, quæ jam olim in scholis vulgo receptæ sunt. idque pinguis (ut aiunt) Minerva, & more recentiorum Grammaticorum.

## DE EPITHECE, id est, Appositione.

Fixa rei ejusdem casu junguntur codem,

(Idque per Appositum) nulla conjuncta catena.

Epithece seu Appositio, est duorum vel plurium Substantivorum ad eandem rem spectantium asyndeta in eodem casu collocatio.

Duorum. *Virgo Maria. Paulus Apostolus. Urbs Roma.*

Plurium. *Marcus Tullius Cicero orator eloquentissimus.*

Ad can-

Ad eandem rem spectantium additur: quia si substantiva ad res diversas pertinerent, alterum poneretur in genitivo. ut, *Equus regis.*

Asyndeta, id est, nulla intercedente conjunctione, cujus videlicet officium est copulare diversa & quæ sola non rectè cohærent.

Possunt verò hæc substantiva genere inter se discrepare. ut, *Mons Aetna. Urbs Gandavum. Flumen Rhenus.*

In numero quoque duabus de causis dissentire possunt:

1. Quando alterum substantivum est plurale tantum unius rei: ut, *Urbs Athenæ. aut est heteroclitum: ut, Corydon ardeat Alexin Delicias domini.*

2. Cùm alterum est nomen collectivum: ut, *Romani gens valida.*

*Aborigines genus hominum agreste.*

Si porro his diversi numeri Substantivis Verbum vel Adjectivum apponatur, cum illo poterit concordare cum quo aptius videbitur coherere: quod à sensu & interdum ab aurium judicio est exigendum. ut, *Urbs Athenæ celeberrima.*

Fit verò Appositio tribus ferè de causis.

1. Generalitatis restringendæ gratia. ut, *Arbor Laurus: Fluvius Rhenus.*

2. Causa attribuentis proprietatis. ut, *Paulus doctor gentium. Socrates philosophus sapientissimus.*

3. Causa tollendæ ambiguitatis. *Plinius: Lupum piscem non vidit Italia. Idem: Lingua herba nascitur circa fontes.*

## DE ECCLESII, id est, Evocatione.

Si ternam primæ personam junxeris, adde Personæ primæ verbum. si deinde secundæ Addideris ternam, verbum accersito secundæ.

Ecclesiæ seu Evocatio est Asyndeta reductio tertiæ personæ ad primam vel secundam. Hoc enim modo ambæ personæ naturam primæ vel secundæ personæ induunt: in qua oportet verbum ipsis respondere, & concordare semper cum pronomine vel expresso vel intellecto.

ut, *Ego letus canto,*

*Tu tristis races.*

*Nos leti canimus,*

*Vos tristes lugetis.*

*Nos pomæ natamus.*

*Vos milites deseritis castra.*

Adjicitur Asyndeta, quia debet abesse Conjunctio, cum varia persona ad eandem referantur, & eandem personam constituent.

Ad Evocationem quatuor requirantur.

Persona evocans: id est, prima vel secunda. seu, pronomen prima vel secunda persona.

Persona evocata: id est, tertia. seu, nomen tertiæ personæ.

Absentia



Absentia copulae, seu Conjunctionis.  
Verbum respondens personae evocanti.

Est autem duplex Evocatio, Explicita & Implicita.

Explicita (seu Perfecta) dicitur, in qua persona Evocans & Evocata exprimitur. ut, Ego Petrus scribo, vos pueri iudicis, Haec etiam Expressa & Integra vocatur.

Implicita (seu Imperfecta) dicitur, in qua persona Evocans subauditur. ut, Calliopius recensuit. Interrogatus responde. Virgilius: Non omnia possumus omnes. Idem: Coram quem queritis adsum Troius Aeneas.

DE SYLLEPSI seu Comprehensione: quae vulgo Conceptio dicitur.

Personam atq. genus semper dabimus magis digno.  
Prima quidem reliquis praestat, ternaque secunda.  
Masculeum praestat reliquis, neutro muliebri.

Syllepsis est indignioris accidentis ad dignius reductio.  
Accidentia Conceptionis sunt, Genus, Numerus, Persona, Casus.  
Est igitur quadruplex Conceptio, Generum, Numerorum, Personarum, & Casuum.

Concipere hic nihil est aliud quam dignius seu praestantius esse.  
In accidentibus est unum altero dignius seu praestantius.  
Genus masculinum praestantius est feminino & neutro, & femininum neutro.

Numerus pluralis est dignior singulari.  
Prima persona praestat secunda & tertia.  
Casus rectus praestat seu dignior est obliquis.

Totum igitur Copulatum erit illius generis, numeri, personae, vel casus, cuius est pars ipsius dignior ac nobilior. ut istud copulatum, Tu cum fororibus, est masculini generis, pluralis numeri, secunda personae, & nominativi casus: cui proprietatis (id est, Verbum vel Adjectivum) in iisdem accidentibus respondere debet, hoc modo: Tu cum fororibus estis probe educati.

Copulatum ex duobus vel pluribus singularibus significatione plurale est. Copulatum vero istud constare debet Conjunctione aliqua Copulativa, et, ac, atque, que, nec, neque, aut Praepositione cum pro ET accepta. ut dictum est supra, cap. 1. reg. 3.

SYLLEPSIS Generum.

Tum generum fiet Syllepsis, mobile quando  
Aut referens, generi respondet nobiliori.

Syllepsis

Syllepsis generum est, cum Adjectivum adjunctum substantivis diverti generis & sexus, congruit cum genere praestantiore.

ut, Pater & mater sunt amandi, quos jubemur honorare. Bos & jumentum sunt ad praesepe ligati. Ancilla & hoc animal nostra sunt.

Syllepsis generum est duplex, Explicita & Implicita.  
Syllepsis generum Explicita est, quando substantiva diversi generis explicantur. ut in exemplis superioribus.

Implicitam vocites generum Syllepsin, uterque  
Est probus: at debent mas & femella notari.

Implicita generum Syllepsis est, quando in adjectivo masculino intelligitur uterque sexus, hoc est, mas & femina: sive, quando diversi generis substantiva non explicantur, sed in voce aliqua intelliguntur, & adjectivum concordat cum digniore. ut si de patre & matre dicas, Neuter parentum defunctus est via: aut, Parentes mei sunt mortui. Nudu, uterque fuit: id est, Adamus & Eva fuerunt nudi. Latona peperit gemellos, Apollinem scilicet & Dianam.

APPENDIX de Substantivis rerum inanimatarum, seu de Regula Indifferentiae quam vocant Grammatici.

Fixis absque anima, jungetur mobile neutrum  
Plurali numero, de consuetudine Graeca.

Substantiva rerum inanimatarum ejusdem vel diversi generis, adhaerent plerumque adjectivum plurale neutri generis.  
Calum & terra sunt a Deo condita. Calamus & charta sunt alba. Sallustius: Nox & praeter hostem memorata sunt. Lunam & stellas, quae tu fundasti. Relativa enim sunt Adjectiva.

Tamen cum substantiva sunt ejusdem generis, adjectivum potest interdum cum iisdem in genere convenire.

Codex & culter meus sunt amissi, quos nondum recuperavi. Sallustius: Fama atque fortuna eorum pares sunt. Iustus: Misericordia in eo & perfidia pari jure dilecta. Dixi plerumque: quia quae res sunt inanimata, fit aliquando conceptio generum. Cicero: Concilia vultu communi jure solvati, quae civitates appellantur.

Sic Lucanus dixit, Lex & Plebiscita coacta, quae curibus consuleret. Alioquin rectius dixisset coacta.

Hec in scholis vocatur Regula indifferentiae, quia substantiva possunt sine differentia esse cum inflexibus generum.

Ec

SYLLE-

## SYLLEPSIS Numerorum.

Posterior numerus vult dignior esse priorē.

Syllepsis numerorum est, cum duobus nominativis, alteri pluralis, & alteri singularis numeri, subicitur verbum plurale.

*Discipuli & praeceptor studiis fatigantur. Milites & Princeps sunt bellicosi.*

Numerus pluralis hic debet praecedere, alioqui foret Zeugma: auctore Aldo Manutio.

## SYLLEPSIS Personarum.

Personalis erit Syllepsis, si modò verbum:

Ritè coaptetur personæ nobiliori.

Syllepsis personarum est, cum diversæ personæ substantivis seu suppositis conjunctione copulativa colligatis apponitur verbum plurale, digniori seu nobiliori personæ congruens.

*Ego & tu tanto oneri sumus impares. Tu & pater rectè valetis. Virgilius: Egregiam verò laudem & spolia ampla refertis. Tuque puerque tuus. - Nos & omnes mortui sistemur iudici Christo. Itaque verbum plurale nobiliorem personam sequitur.*

Prima persona nobilior est quàm secunda & tertia; secunda verò tertia praefertur. ut supra dictum est.

Syllepsis personarum est duplex, Explicita & Implicita.

Explicita dicitur, in qua diversa persona explicantur. Cicero: Si tu & Tulliola tua nostra valetis, ego & suavissimus Cicero valemus.

Implicita verò est, cum in voce aliqua distributiva diversa persona intelliguntur, cum quarum praestantior verbum congruat. Plautus: Uterque sumus desessitare. Terentius: Curemus aquam uterque partem. scilicet ego & tu.

## SYLLEPSIS Casuum.

Syllepsis casus per Cum connectere verbo

Plurali primum casum solet atque Latinum.

Syllepsis casuum dicitur, quando nominativo & ablativo tertiæ personæ, Praepositione Cum coherentibus, subicitur Verbum vel Adjectivum pluralis numeri.

*Virgilius: Remo cum fratre Quirinus iura dabunt. id est, Quirinus & Remus frater. Ovidius: Iliam cum Lauso de Numitore sati. id est, Iliam & Lausum.*

Ex his qua dicta sunt manifestum est quòd in omni Syllepsi explicita sunt quatuor necessaria.

Dictio concipiens: id est, dignior seu praestantior.

Dictio concepta: id est, indignior sive ignobilior.

Copula

Copula seu Coniunctio.

Proprietas (id est, Verbum vel Adjectivum) pluralis numeri, & respondens semper dictioni concipienti, seu praestantiori parti ipsius copulati.

DE ZEUGMATE, id est Adjunctione seu jugatione.

Unius est verbi ad diversa reductio Zeugma

Aut adjectivi: quæ vicinò usque coherent.

Zeugma est, cum diversis inter se junctis Suppositis vel Substantivis additur verbum vel adjectivum quod cum propiore tantum consentiat.

*Non ego te, sed tu me maledictis lacestivisti.*

*Non imagines, sed virtus clarum facit.*

Fit verò Zeugma duobus modis: per Verbum & per Adjectivum.

Per Verbum. Ego scribo & tu, Tu ambulas, & Petrus.

*Non aurum semmam exornat, sed mores boni.*

Per Adjectivum. Carus est panis, & vinum: subaudi est carum.

*Virgilius: Caper est tibi salvus, & hædr: subaudi, sunt salvi.*

*Non est expetenda gloria, neque divitia: subaudi, sunt expetenda.*

Tres sunt Zeugmatis species, Protozeugma, Mesozeugma, & Hypozeugma. hoc est, praerjugatio, interjugatio, adjudatio.

Protozeugma est, quando proprietates (id est, Verbum vel Adjectivum) ponuntur in principio. ut, Cavi praeceptor & discipuli. Iratus est rex & regina.

*Virgilius: Nunc silet omnis ager, pecudes pictæq; volucres.*

Mesozeugma est, cum proprietates ponitur in medio. Praeceptor canit & discipuli. Rex est iratus & regina. *Virgilius: India mittit ebur, molles sua thura Sabæi.*

Hypozeugma, cum proprietates in fine ponitur. ut, Praeceptor & discipuli canunt. Rex & regina est irata. Sanus animus & bona valetudo expetenda est.

*Horatius: Ut tu fortunam, sic nos te Celse feremus.*

In Zeugmate necessaria sunt tria: Diversa Supposita vel Substantiva; Copula seu Coniunctio; Proprietates cum vicinore conveniens.

Tripliciter differt Zeugma à Syllepsi.

- |              |   |  |
|--------------|---|--|
| Proprietates | } | 1. in Zeugmate convenit cum propiore: in Syllepsi cum digniore seu praestantiore.                                    |
|              |   | 2. in Zeugmate invenitur Substantivum vel suppositum separatim ac divisim. in Syllepsi conjunctim.                   |
|              |   | 3. in Zeugmate est nunc singularis nunc pluralis numeri. in Syllepsi semper est pluralis numeri: nisi sit implicita. |

Ec 2

Exceptio

Exceptio à prima differentia.

Tribus modis potest Verbum vel Adjectivum in Zeugmate convenire cum remotiore Supposito vel Substantivo.

1. Cum utimur adverbio comparandi. ut, Ego melius quam tu scribo. Lucretius: Et sedare sitim, prius est, quam pocula, natum.
2. Cum utimur adverbio similitudinis. ut, Ego sicut senum arui.
3. Cum utimur particula Nisi.

Terentius: Talem filium nulla nisi tu pareret.

Aliter tamen interdum Poëta loquuntur. ut, Nihil hic nisi carmina desunt. Et ipse Cicero: Nec minus intelligo me vobis, quam vos mihi esse jucundos.

DE PROLEPSI, id est Præoccupatione, seu Anticipatione.

In partes totum partitur ritè Prolepsis

Cum verbo positum aut adjectivo sociatum.

Prolepsis est, quando Verbum aliquod vel Adjectivum cum toto seu generali conveniens, à partibus totius in numero discrepat. vel, Cum dictio generalis numero ferè plurali præcedens, rursus in partibus singularibus intelligitur.

Discipuli discunt, hic naviter, ille remisè. Totum est, Discipuli: quod cum verba discunt in omnibus concordat. Partes sunt, Hic & Ille: quia cum verbo discunt in numero non concordant. Proprietas est discunt. Omnes student, hic scientia, ille pecunia, alius voluptati: sub iudi, studet. Aquila dua volaverunt; una ab ortu, altera ab occasu. Defuncti sunt parentes, pater peregre, mater domi.

Quinque requiruntur ad Prolepsin.

Totum seu Generale; Partes totius; Ordo, ut totum præcedat suas partes; Determinationes, quæ partium discrimen indicant: Proprietas, id est, Verbum vel Adjectivum, quod toti coheret, & à partibus discrepat. Unde hic Prolepsis non est, Pueri discunt, hi Dialecticam, illi Rhetoricam.

Totum hic triplex est:

1. Dictio pluralis numeri ut, Omnes, Ambo, Discipuli.
2. Copulatum ex singularibus. ut, Iohannes & Petrus.
3. Nomen collectivum. ut, Pars vacat studis, hi Græci, illi verò Latini.

Duplex est Prolepsis, Explicita & Implicita.

Prolepsis Explicita est, in qua totum & partes exprimentur. ut, Iohannes & Petrus legunt, hic Virgilium, alter Homerum.

Prolepsis Implicita est, cum totum vel partes supprimuntur, aut totum & partes simul, ita ut partes in adjectivo contineantur.

Totum: ut, Discimus, ego Grammaticam, tu Dialecticam.

Partes

Partes: ut, Nos discimus uterque Grammaticam.

Totum & partes. Terentius: Curemus aquam uterque partem: pro, Curemus nos aquam partem, ego meam partem, tu tuam. Ovidius: Vestras quisque redite domos. pro, Vos redite domos, tu tuam, alius suam. Virgilius: Quisque suos patimur manes, id est, penas & incommoda. pro, Nos patimur manes, ego meos, tu item tuos, alius suos. Cheen huusken zons der cruusken.

DE ANTIPTOSI, quæ est casus Enallage seu Permutatio.

Antiptosis erit, pro casu ponito casum.

Antiptosis est casus pro casu collocatio.

Nominativus pro Genitivo. ut, Hec & alia id genus: pro, hec & alia ejus generis. Id atatis hominem: pro, ejus atatis, vel ea atate.

Cicero: Id atatis jam sumus, ut omnia fortiter ferre debeamus.

Idem: Orationes aut aliquid id genus soleo scribere.

Idem: Milo profectus est id temporis: pro, eo tempore.

Genitivus pro Nominativo. Ejus rei mihi in mentem venit: pro, ea res venit mihi in mentem.

Dativus pro Nominativo. Virgilius: Cui nunc cognomen Iulo. pro, Iulus.

Dativus pro Ablativo. Dilectus nobis: pro, à nobis.

Accusativus pro Ablativo. Cicero: Profectus est id temporis: pro, eo tempore.

Vocativus pro Nominativo. Horatius: Macce virtute esto: pro, mactus.

Ablativus pro Genitivo. Terentius: Homo antiqua virtute ac fide: pro, antiqua virtutis ac fidei. Hujusmodi Antiptoses sunt omnibus licita.

DE SYNTHESI seu Compositione.

Synthesis haud vocem sed cernit significatum.

Rem magis adspiciunt quam vocem sæpe Poëta.

Synthesis est figura, in qua constructio refertur ad sensum & intellectum, non ad vocem.

Interdum enim adjectivum, relativum, vel verbum, ad sensum & rem significatam magis refertur, quam ad vocem: ita ut nec genus interdum nec numerus congruat. ut cum dicit Ovidius: Albula pota Deo, adjectivum feminini generis pota respondet significato vocis Albula, quod est aqua. Albula igitur, id est, Albula fluvij aqua. Livius: Maxima pars ab equitatu in flumen acti.

Terentius: Eunuchum dixi velle se, quia sola utuntur his regina. subaudi, eunuchis

ebis. Versatur autem haec figura potissimum circa tres primas regulas Syntaxeoo Intransitiva. Triplex est enim Synthesis: adjectivi & substantivi, relativi & antecedenti, nominativi & verbi.

In adjectivo & substantivo fit Synthesis quinque modis:

1. Causa discernendi sexus. ut, Anser feta: non, fetus. quia adjectivum ad sexum nominis anser (qua est femella) refertur, non ad vocem, qua est generis masculini. Sic Elephanti grava.
2. Supplementi vel Subauditionis gratia. Terentius: Transulit in Eunuchum suam: scilicet fabulam. Virgilius: Centauro invehitur magna: id est, navis quae Centaurus appellabatur.
3. Per nomina Collectiva. Virgilius: Pars in frustra secant. Idem: Pars mersi tenuere ratem. Id autem ideo fit, quia nomina Collectiva numero singulari multitudinem significant, & ex eo plurale verbum recipere posse videntur. Sallustius: Maxima pars vulnerati aut occisi sunt. Sed Cicero hic dixit, Plurimi vulnerati aut occisi, quod potius imitandum.
4. Per nomina distributiva. Ovidius: In magnis laesi rebus uterque sumus.
5. Per nomen Abstractum pro Concreto positum. Terentius: Scelus postquam ludificatus est virginem. id est, sceleratus. & , Ut illum Dij Deaeque senium perdant. senium, pro senem.

Synthesis iisdem etiam quinque modis fieri potest in Antecedente & Relativo.

Terentius: Ubi illic scelus est, qui me perdidit? &c.

Synthesis fit in Nominativo & Verbo duobus modis:

1. Per nomina Collectiva: quae apud Poetas & Historicos recipiunt nunc verbum singulare, nunc plurale. Plinius: In Africa major pars ferarum astate non bibunt inopia imbrium. Virgilius: Pars in frustra secant. Ovidius: Turba ruunt in me luxuriosa proci.
2. Per nomina quaedam partitiva. Plautus: Uterque deluduntur dolis. Virgilius: Quisque suos patimur manes. Ovidius: Vestras quisque redite domas. Terentius: Aperite aliquis actutum ostium.

Porrò in his & similibus, Curemus æquam uterque partem, Quisque suos patimur manes, quadruplex aut quintuplex est figura: Ecclesis implicita, Syllepsis generum implicita, Syllepsis personarum implicita, Prolepsis implicita, & Synthesis.

Duo sunt ad Synthesin necessaria:

Substantivum vel Suppositum, Proprietas (hoc est, Verbum vel Adjectivum) conveniens tantum cum significato nominis substantivi vel suppositi.

Haec figura poësis & historicis usurpata est, non oratoribus, nisi per accidens.

DE

Esto Synecdoche, ubi verbum vel mobile toti Conveniens, partem regit in quarto aut Latiali: Vel laudem aut vitium in sexto sibi mobile jungit.

Synecdoche est, quando Adjectivum vel Verbum conveniens cum toto, regit partem totius in accusativo vel ablativo. Item quando adjectivum regit proprietatem in ablativo.

Elephas curvus dentes vel dentibus. Petrus dolet caput vel capite. Ovidius: Ennius ingenio maximus, arte rudis.

Synecdoche fit per

Adjectiva	{	Nomina: ut, Puer ager pedes vel pedibus.
		Participia: ut, Vir vulneratus caput vel capite.
		Neutra: ut, Petrus rubet faciem vel facie.
Verba	{	Passiva: ut, Petrus truncatur manus vel manibus.

Ad Synecdochen necessaria sunt tria:

- Totum,
- Pars vel Proprietas,
- Verbum vel Adjectivum, conveniens cum toto.

Porrò cum tria sint Auctorum sive Scriptorum genera, Poëta, Historici, & Oratores: horum quique suos quasdam dicendi scribendique leges sibi vindicant. Poëta enim in Synecdoche utuntur accusativo, & interdum ablativo, quod in carmine licet cuius imitari. Historici parcius quam Poëta hac figura utuntur, & ablativum saepius quam accusativum usurpant.

Oratoribus autem usurpatur ablativus, non accusativus.

Dicit igitur

{	Poëta	Vir velox pedes. } in accusati-
		Ego doleo caput. } vo feré.
	Historicus	Vir velox pedibus. } in ablati-
	Ego doleo capite. } vo saepius.	
{	Orator	Vir velocibus pedibus. } sine figura.
		Vir velocium pedum. }
		Caput dolet mihi. }

Orator etiam dicit, Tremo animo, Contremisco toto corpore, Torpet animo & corpore.

Duplex est Synecdoche, Locutionis & Constructionis. Synecdoche locutionis est, quando pars pro toto ponitur, aut totum pro parte. est, Teclum pro domo. Ovidius: Igne quid utilium? si qui tamen urere tecla Apparat, armatas instruit igne manus. Oclo anima fuerunt in arca Noë: id est, octo homines

*mines. Adfer mihi fontem: id est, aquam fontanam. Virgilius: - Labrū splendentibus amnem Inficit. - id est, aquam ex amne hausit.*

Synecdoche constructionis (de qua hic agimus) est duplex: Directa seu propria, & Indirecta seu impropria.

Synecdoche constructionis directa est, in qua Verbum vel Adjectivum regit partem in accusativo vel in ablativo: quæ supra declarata est: ut, *Doleo caput vel capite. Herba longam radicem vel radicem, id est, habens longam radicem. Nuda genu: id est, secundum vel juxta genu.* Hæc enim ita exponuntur, ut interdum resolvendo, verbum aliquod addatur: (*Horatius: Miles ait, multo jam fractus membra labore. pro, habens membra fracta.*) Interdum verò extrinsecus assumatur Præpositio. *Virgilius: Tempora nudus adhuc. - pro, secundum tempora. Lesus lumine. pro, in lumine.*

Synecdoche constructionis impropria est, quando non pars sed quiddam quod parti adjacet, in accusativo vel ablativo ponitur. ut, *Sum albus veste. Virgilius: Persusus sanie vittas. id est, habens vittas sanie persusas.*

APPENDIX DE SYNTAXI ECLIPTICA:  
de qua tamen supra obiter passim dictum est.

subaudiuntur.  
Multa per Eclipsin non raro dissimulantur.  
Dictio namque regens casum, persæpe tacetur,  
Rectaque nonnunquam, quadam cum gratia & usu.

Dictio regens tam nominativum quàm alios casus, aliquando etiam dictio recta, eleganter subauditur per Eclipsin. [*Hæc enim Regula est propria Eclipsos, quæ in oratione non raro venuste fit. Est autem Eclipsis, dictio- nis ad rectam & legitimam orationis structuram necessaria, in sensu prætermis- sio ac defectus: sed quæ cum foris sit petenda, vel consuetudine auctorum subaudiri so- let, vel quia ex ceteris verbis est certa & perspicua.*]

Dictio regens nominativum: ut, *Miserabile visu. sub. est.*

*Ovidius: Turpe quidem dictu: sed si modo vera fatemur,*

*Vulgus amicitias utilitate probat.*

*Silius: Turpe duci, totam somno consumere noctem. Tum Venus. sub. dixit. Quid rei tibi cum illo? sub. est. Virgilius: Sed vos qui tandem? quibus aus ve- mistis ab oris? qui tandem, sub. estis. Terentius: Vos semota, nos soli. Vos se- mota, scilicet fuistis: nos soli, scilicet fuimus.*

Genitivum: ut, *Mentiri non est viri boni: sub. munus. Cicero: Non est sapientis [s. vox] dicere Non putaram. Iacobus Zebedæi. sub. filius. Hectoris Andromache. sub. uxor.*

Dativum: *Ad ea omnia mihi Petrus nihil. sub. respondit. Livius: Ea modo quæ restinguendo ignisorent, portantes. deest idonea, aut necessaria.*

Accusativum: *Terentius: Miseram me. sub. ô. Cicero: Sed hæc propediem. sub. agemus. Virgilius: Dii meliora pio, errorumque hostibus illum. deest dent*

dent, aut faciant. Idem: *Urbs antiqua fuit, Tyrj tenuere coloni. deest quam. Cicero: Rhodium volo puerorum causa, inde quamprimum Athenas. pro, Rho- dum volo proficisci, inde redire Athenas constitui.*

Vocativum: *Virgilius: Tyre coque pecus. sub. ô.*

Ablativum: ut, *Quid mea, rusticæne loquar an nitidæ? sub. interest aut refert. Abdidit se domo. sub. in. Terentius Eunuchus: Virgilius Aeneide: Plautus Milite: sub. in.*

Dictio recta: ut, *Vocor Petrus. sub. ego. quæ dictio turpiter exprimeretur. Sunt qui dicunt. sub. aliqui. Tollat te qui ngn novit. sub. is. Sunt quos facile fallas. sub. aliqui. Sic in dicunt, aiunt, perhibent, prædicant, & similibus, sub. auditur homines.*

Dictio subintellecta aliquando & recta & regens est. ut, *Pater meus habitat ad divi Petri. sub. templum, vel ædem: quæ dictio regitur à Præ- positione ad, & regit genitivum divi Petri. Sic apud Terent. Ad Dianæ: apud Cicer. Ante Castorj: apud Sallust. Circum Concordia: apud Plautum, In Veneris.*

In summa, quotiescunque subauditio obscuritatem non parit, ornate per Eclipsin seu Ellipsin multa subicemus.

DE GRAMMATICO SEU  
NATURALI DICTIONUM  
ORDINE,  
CAPUT UNDECIMUM.

Ordo, est simplicium dictionum certa quadam collocatio.


Ordo dictionum est duplex; Oratorius, & Grammaticus.

Oratorius seu artificiosus est, quem ipsi scriptores habent: & ab arte proficiscitur. isque diligenti auctorum lectione observandus est, & imitatione comparandus. Grammaticus seu naturalis vel natus est, qui pertinet ad scriptorum interpretationem: & à natura proficiscitur. hic in explicatione quid primo, quid secundo, quid tertio, quid item reliquis locis ponendum sit, demonstrat: atque ex usu vernacula lingua certo serè potest elici, naturalis & sponte suo verborum ordine. de quo tamen hæc sermè traduntur Regula.

I. Principium capiant hortandi sive vocandi  
Particulæ, & similes: ac Interjectio quævis:  
Et Conjunctio præpositiva. Sub hæc cape quintum:  
Ec s      Quem

- 3 Quem sequitur primus, 4 quodq. illi ritè cohæret.
- 5 Personale dein (finitum sit modò) Verbum.
- 6 Mox Adverbia pleraque. 7 Casus post ea Verbi.
- 8 utque regens meritò præit ordine dictio rectam, Sic substantivo subnectitur adjectivum.
- 9 Quòd si quid tacitum fuerit, supplere memento.

- 1. Primo loco ponantur particula excitandi: cujusmodi sunt Adverbia hortandi, optandi, vocandi: item demonstrandi, negandi, prohibendi, similitudinis: & vim habentia relativam: ut. Cum, dum, quando, quandoquidem, donec, &c. Conjunctiones præpositivi ordinis & communis: item Interjectiones omnes, aliæque præterea nonnulla. ut, O Pamphile, salve. Age dic. O si recuperari tempus elapsum possit. Non faciam. Ne jures temerè. Donec eris felix, multos numerabis amicos, &c.
- 2. Si superiora illa desint, & vocativus in oratione fuerit, ab ea primum incipiendum est. Virgilius: Eityre coge pecus.
- 3. Hinc statim veniendum ad Nominativum qui regitur à fronte Verbi, [is enim initium est & quasi fundamentum structurae & Verborum exadificationis:] aut ad id quod nominativi loco ponitur.
- 4. Nominativum sequitur dictio qua ei coheret: ut adjectivum, vel substantivum ejusdem casus, vel genitivus aut alius casus à nominativo rectus.
- 5. Deinde Verbum personale finiti modi. Si verò Verbum fuerit impersonale, ab eodem erit exordiendum. Sin personale, sed infiniti modi fuerit, incipiendum erit ab accusativo quem recipit ante se.
- 6. Sequuntur Adverbia, qua Verborum adjuncta & attributa seu (ut vocant) circumstantias declarant ac demonstrant: Cujusmodi sunt locus, tempus, quantitas, qualitas, & alia hujusmodi.
- 7. Mox casus à Verbo recti, qui si plures fuerint, proprii natura præcedunt, communes sequuntur, idque eo ordine qui in declinando observatur, ut dativus accusativum, accusativus præcedat ablativum. Exemplum sit versus ille Virgilianus: O Melibæe, Deus nobis hæc otia fecit. qui sic ordinatur, O Melibæe, Deus fecit nobis hæc otia.



[ Dictio regens præcedit eam qua regitur. ut, filius Regis, utilis reipublica, nihil causa,

caussa, id ætatis, amo Deum, servii mihi, bibens aquam, favens viri bonis, placentis multis, parum vini, ad patrem, ex itinere.]  
 9. Quod orationi deest, in expositione suppleri debet. ut, Miseram me, vereor. subaudiatur ò vel heu. Unde mihi Lapidem? sub. comparabo. vel quid simile.

EXCEPTIO à Regula octava.

Quod rogat atque refert, gaudet præcedere; & ipsum Mobile præponi fixo patrium cupienti.

- Interrogativa: ut, utrum maui? quem queris? cuius est hic liber? cujus pecus: cujus est Petrus? quota est hora? ubi vidi? &c.
- Præcedunt } Relativa: ut, qui, qua, quod, qualis, quantus, quotus, quot, & qua sunt generis ejusdem. Hic est liber, quem amiseram. Talis est servus, qualis est herus. Ubi est thesaurus tuus, ibi est & car tuum, &c.

Adjectivum præponitur substantivo, quando substantivum regit genitivum. ut, Alta mœnia Carthaginiæ.

Cum certam loquendi scribendique rationem Grammatica doceat, primumque vocum simplicium naturam, deinde conjunctionum consecutionem tradat: utile fore studiosis arbitrari sumimus, ortum illum Grammaticorum, quem in auctorum interpretatione servare solent, ordinem illis demonstrare, ad quem Latine & artificiosè numerosèque structuram ab elegantibus scriptoribus orationem revocare distant. hoc modo: Cicero: Atque istissima omnino sunt, Scipio & Læli, arma senectutis, artes exercitationisque virtutum, quæ sententia ita collocatur ordine Grammatico, [O] Scipio & Læli, artes & exercitationes virtutum, sunt omnino aptissima arma senectutis. Martialis: Semper eris pauper, si pauper es Aemilianus.

Dantur opes nulli nisi divitibus.  
 Ordo est: [O] Aemiliane, si [tu] es pauper, [tu] eris semper pauper: [quia] opes dantur nunc nullis nisi divitibus. Cicero: Hæc præcepta servantem licet magnifice, graviter, animosèque vivere quod sic ordinatur: Licet servantem hæc præcepta, vivere magnifice, graviter, & animosè. Hæc verba, Miserum est fuisse felicem, sic collocantur: Felicem fuisse est miserum.

Expedita ordinis methodus.

In primis quaeras Verbum: dein dispice quid sit Præpositum Verbo, quid subjungatur eidem.

*In primis observandum est ad hunc ordinem grammaticum facillius percipiendum, in omni  
structura (quoniam nulla sine Verbo perficitur oratio) ante omnia querendum esse Verbum, &  
quid huic prepositum vel adjunctum sit, videndum.*

## ADMONITIO.

*Omnia non possunt praeceptis tradier. usus  
Scriptaque doctorum supplebunt cetera: quae vos  
Nocturna versate manu, versate diurna.*

## FINIS SYNTAXEOS.

## ERRATA.

*Pag. 10. versu 30. lege Partitiva regunt genitivum. Pag. 16. vers. 16. lege Opus,  
nomen indeclinabile, regis Pag. 31. vers. 33. Polthabui tamen.*

*Hæc Grammatices Despauteriana epitome, libris quattuor distincta, in com-  
modiorem ordinem redacta, in finibusque locis correcta, magna cum utilitate  
imprimetur; & dignissima est quæ UNICA in scholis juventui præ-  
legatur, juxta Decretum Synodi Provincialis Mechliniensis. Quod  
attestatur postridie Id. Aprilis, M. D. LXXI. Lovanij.*

AUGUSTINUS HUNNÆUS,

IOHANNES MOLANUS.

## PRIVILEGIUM.

**PHILIPPI** Hispaniarum Regis Catholici privata lege sancitum  
est, ne quis hanc *Grammatices Despauteriana epitomen quattuor libris distin-  
ctam, in commodiorem ordinem redactam, in finibusque locis correctam*, ab hac  
prima editione ante octennium citra Christophori Plantini consensum  
imprimere, impressamve divendere audeat, sub pœna confiscationis &  
librorum omnium, & pro unoquoque libro duorum aureorum Rhe-  
nensium. Datum Bruxella in consilio privato, ultima Aprilis, anno  
MDC LXXI.

*De Langhe.*

Et in consilio Brabantiae eodem die & mense, ad  
totidem annos.

*J. de Witte.*

ANTVERPIAE EXCVDEBAT CHRISTO-  
PHORVS PLANTINVS, REGIVS AR-  
CHITYPOGRAPHVS, XIII. CAL. IV-  
LII. ANNO M. D. LXXV.